


JOSEPHI EYEREL

COMMENTARIA

IN

MAXIMILIANI STOLLII

APHORISMOS.

DE

COGNOSCENDIS ET CURANDIS FEBRIBUS.

Morbis quoque quasdam leges natura posuit.

Plin. Hist. nat. L. VII.

TOMUS SECUNDUS.



VINDOBONÆ,

TYPIS CHRISTIANI FIRDERICI WAPPLER.

1788.



PRÆFATIO.

Commentariorum in *Stollii* aphorismos, de cognoſcendis & curandis febribus, *volumen ſecundum* univerſam de inflammationibus doctrinam abſolvit. Viſcerum autem inflammationes a *Boerhaavio* tanto cum ſtudio ad ſeveræ methodi normam expoſitæ, habentur, ut recentiorum induſtria pauca tantum potuit addere, quibus inflammationum cognitio medendique methodus magis perficeretur. Quæ itaque *Stollius* addidit, huc redeunt, ut *genuinam* inflammationem a *rheumatica* diſcerneret, ſigna fallacia, quibus incauti medici ad pernicioſas medendi methodos ſolent ſeduci, accurate exponeret, & ſubdolam latentium & chro-

nicarum inflammationum naturam profundius rimaretur.

Tertium horum commentariorum volumen febrim biliofam, pituitofam, peripneumoniam notham, febres intermittentes, continuas remittentes, febrim ardentem, febrim putridam, exanthemata febrilia continebit. *Quartum* volumen exponendæ methodo indirectæ, febri lacteæ, febri puerperarum, febri hecticæ, atque pulmonum tabi dicatum eft. *Utrumque volumen* autumnalibus *Lipfiæ* nundinis typis edatur.

SY-

SYNOPSIS.

VARIÆ ANGINÆ SPECIES.

Suppuratoria.
Gangrænoſa.
Scirrhoſa.
Maligna.
Convulſiva.
paralytica.
ſpasmodica.
a luxatione vertebræ cervicis ad interiora
a luxatione oſſis hyoidei.

Hypochondriaca ſeu hyſterica.
Aquoſa.
ſedes anginæ aquoſæ.
cauſæ anginæ aquoſæ.
curatio anginæ aquoſæ.
Anginæ ſymptomaticæ.
varioloſa.
morbilloſa.
rheumatica.
ſcarlatinoſa.
venerea.
aphthoſa.

PLEURITIS HUMIDA.

Sedes pleuritidis humidæ.
Differentia a pleuritide ſicca.
Exitus varii pleuritidis humidæ.
Methodus medendi.

PERIPNEUMONIA.

Diviſio peripneumoniæ.
Signa.

Causæ.
Effectus.
Prognosis.
Exitus peripneumoniæ in sanitatem.
lysis.
crisis.
sputa critica.
diarhæa critica.
urina critica.
Exitus peripneumoniæ in alios morbos.
suppuratio.
signa abscessus futuri.
fientis.
facti.
Exitus variæ factæ suppurationis.
Metastasis.
Signa orituræ metastasis.
Abscessus ad crura.
ad aures.
ad hepar.
Effusio lymphæ coagulabilis seu crisis erronea.
Hydrops.
Gangræna.
Prognosis in specie.

Cura peripneumoniæ;
levis peripneumoniæ.
catarrhorum.
Hiſtoria morbi.
Cura inſtante critica evacuatione.
peripneumoniæ gravioris.
Methodus medendi in ſtadio ſuppuratoria.
Hiſtoria morbi.
Methodus medendi imminente metaſtaſi.
Criſis erroneæ effectus incurabiles.
Gangrænæ nulla medela.
Sputa ſuppreſſa.
Peripneumoniæ ſymptomaticæ.
Quæſtiones variæ.

PLEURITIS LATENS.

Signa.
Cauſæ.
Cura.

PLEU;

PLEURITIS.

Signa.
Divifio.
Sicca, humida.
Vera, fpuria.
Idiopath. fymptom.
Sedes.
Caufæ prædifponentes & excitantes.
Symptomata.
Exitus in fanitatem.
Refolutio benigna.
Evacuationes criticæ.
fanguineæ.
urinæ.
alvus.
abfceffus.
doloris migratio.
fputa.
Cura pleurititidis levioris.
gravioris.
Ufus veficantium.
Methodi antiphlogifticæ terminus.
Exitus in alios morbos.

Suppuratio.
Signa abſceſſus formati.
vomicæ ruptæ.
empyematis.
puris verſus exteriora derivatio.
empyematis ſanatio.
Pleuræ coalitus cum pulmone.
Criſis erroneæ.
Exitus pleurititidis in mortem.
Quæſtiones variæ.

DIAPHRAGMATITIS.

Hiſtoria morbi.
Signa.
Exitus.
Cura.

INFLAMMATIO MEDIASTINI, PERI-CARDII, CORDIS.

HEPATITIS ET ICTERUS MULTIPLEX.

Divifio & fallaciæ hepatitidis.
Caufæ.
Prognofis in genere.
Effectus.
Signa.
Exitus in fanitatem.
lyfis.
crifis.
erronea.
Suppuratio hepatis.
Signa abfceffus futuri in hepate.
facti abfceffus.
Exitus diverfi abfceffus hepatis.
Scirrhus hepatis.
Exitus hepatitidis in mortem.
Corollaria practica.
Hepatitis latens.

GASTRITIS.

Signa inflammati ventriculi.
Caufæ gaftritidis.

Cu-

Cura.
Exitus in ſuppurationem.
Scirrhus ventriculi.

INFLAMMATIO LIENIS.

INFLAMMATIO PANCREATIS.

INFLAMMATIO OMENTI.

Corollaria practica.

ENTERITIS.

Cauſæ & diviſio enteritidis.
Symptomata.
Cura.

Suppuratio inteſtinorum.
Gangræna.
Scirrhus.
Corollaria practica.

NEPHRITIS.

Signa nephritidis.
Cauſæ.
Exitus in ſanitatem.
Cura.
Nephritis calculoſa.
Renes ſuppurati.
Scirrhus renum.
Rudimenta calculi.
Gangræna renum.
Corollaria practica.

CYSTITIS.

Signa.
Cauſæ.
Abſceſſus veſicæ.
Scirrhus.

METRITIS.

Signa.
Suppuratio.
Gangræna.
Chronica uteri inflammatio.
Cura.
Historia morbi.





ANGINA SUPPURATORIA.

Angina gangrænosa. Angina ſcirrhoſa.

Quænam anginæ ſpecies in ſuppurationem, gangrænam, aut ſcirrhoſam partium glanduloſarum duritiem abeant, quibus ſignis exitus hi cognoſcantur, & quid conſilii in quacunque inflammationis mutatione capiendum ſit, præcedentibus paragraphis abunde explicatum eſt, ubi uberior expoſitio ſuperflua habenda ſit. Paucis itaque communes hoſce anginæ inflammatoriæ exitus reſumimus. Atque primo de *ſuppuratoria angina* ſermo ſit.

Omni equidem ope reſolutio inflammationis tentanda eſt; at non ſemper hæc nobis fe-

licitas contingit, tum ob magnitudinem morbi, aut ob neglectam, feriusve adhibitam medelam, aut ob ipfum morbi epidemici genium.

Apparentibus itaque fignis, refolutionem omni apparatu remediorum antiphlogiftico tentatam, perfici ulterius haud poffe, artis officium eft molimina naturæ in pure conficiendo adjuvare, collectoque puri loco maxime congruo exitum conciliare.

Requiritur itaque, ut continuo ore retineant ægri tepidum gargarisma ex feminibus lini, althæa, malva, & fimilibus emollientiffimis remediis paratum. Ita enim continuo foventur partes inflammatæ, nimia illarum exficcatio præcavetur, & crudum inflammatorium maturatur feliciffime. Simul eadem opera optime difponitur abfceffus in faucibus natus, ut antrorfum rumpatur, & in oris cavum eructet collectum pus; quod tutiffimum eft, cum retrorfum verfus fauces rupto abfceffu periculum fit, ne pus in glottidis aperturam delabatur, cum præfentaneo fuffocationis periculo. Cataplasmata autem pariter ex emollientiffimis parata non poffunt quidem immediate applicari locis fuppuratis; verum totum collum, & loca fubaxillaria his ob-

obvolvuntur utiliter, dum ſic & horum remediorum efficacia mediate ſaltem affectis partibus applicatur, & iisdem emollitæ omnes partes externæ facilius cedunt, & internis tumentibus locum faciunt. Tonſillæ enim, quæ frequentiſſimam anginæ ſuppuratoriæ ſedem exhibent, ſub maxillæ angulo utrinque prominent, dum tument inflammatæ.

Nihil autem magis promovet ſuppurationis initia, quam debitus liquidi vitalis motus, ut nempe neque torpeat, neque excitetur nimis. Quamdiu itaque reſolutionis ſpes eſt vitalem humorum motum ſanguinis miſſione aliisque remediis debilitare oportet, ab illis vero plerumque abſtinere, dum abſceſſus exſpectatur; quia ad hunc ſcopum conducit potius auctior parum humoris vitalis motus. In angina tamen ſuppuratoria quandoque cogimur ab hac methodo recedere, & aliquando repetitam etiam venæ ſectionem inſtituere, licet ſigna doceant, abſceſſum jam formari. Ratio eſt, quia tumor affectarum partium auctus illo tempore, dum maturatio fit, ſæpe comprimendo partes vicinas novam inflammationem hic adeo periculoſam excitat; unde tunc cogimur magis exhaurire corpus, ut omnia vaſa inanita collabantur magis, ſicque im-

pediatur metuenda ſæpe in hoc morbo ſuffocatio.

Abſceſſus aut ſponte rumpitur, aut lanceola pertunditur. Rarius in angina ſuppuratoria bronchotomiæ neceſſitas occurrit; cum fere omnes tales ægri etiam ſine hac evadere ſoleant. Celebris Chirurgus *de la Motte*, qui plurimos ægros hoc morbo laborantes tractaverat, nullum tamen inde periiſſe vidit triginta quinque annorum ſpatio. Neque meminit Illuſtriſſ. *Swietenius*, ſe obſervaſſe lethalem anginæ ſuppuratoriæ exitum, licet etiam ſummis anguſtiis ſtipata foret. Venæ ſectione enim repetita, & clysmatibus purgantibus ita poſſumus exhaurire corpus, ut vaſa omnia ſubſidant; ſicque impetrare tales inducias, ut maturatio abſceſſus impetrare poſſit.

Periculoſiſſimus anginarum exitus gangræna eſt; citiſſime enim malum hoc proſerpit, & ad omnem non raro remediorum antiſepticorum malum rebelle. Quænam anginæ ſpecies in hunc exitum præ reliquis præclivis ſit, ſupra, cum de his ſpeciebus ſeorſim ageretur, dictum eſt.

Alia anginæ febrilis ſpecies ab auctoribus deſcribitur, cui nomen *anginæ malignæ*, ſeu

gan-

gangrænosæ dederunt. Tales præcipue, ab *Huxhamo* a) & *Grantio* b) descriptas legimus. Omnes ejusmodi anginæ symptoma tantum malignæ febris sunt, quæ vario symptomatum satellitio, exanthematum genere vario, & inflammatione plus minusve septica stipatur; ut itaque medendi ratio ex indole epidemicæ febris, cui angina accedit, desumi debeat. Hæc *Stollii* opinio est, quam in brevi censura libelli de angina maligna a *Grantio* editi, exposuit.

a) Huxham opera T. II.
b) Grant de angina maligna.

Angina maligna, pestilentialis a *Grantio*, viro ceteroquin maximo, qui mea opinione optimam de febrium natura descriptionem dedit, tanquam novus morbus describitur, qui circa annum 1728. innotuit. Pestilentialem appellat, quod cum febre malignissima, eaque contagiosa jungatur. Clarissimus hic vir plures addit historias anginæ hujus. Verum si has rite excutiamus, vix novum ibidem morbum reperiemus. Maligna hæc angina comitabatur febrim, modo scarlatinam, petechialem, miliarem, harumque non qualemcunque, sed pejoris notæ, quæ cito gan-

græ-

græuam inducit. Eandem hanc malignam *Hux-hamus* descripsit in peculiari dissertatione.

Morbus hic oritur tempestate humida, frigida, nebulosaque. Invadit more febrium gastricarum cum horrore, calore, capitis temulentia, raucedine, tussi aliqua; ventriculi vitio & alvi dejectionibus, præcipue in infantibus, qui nonnunquam severius afficiebantur. — — Omnes queruntur magnam spirituum abjectionem, subitaneam debilitatem. Pulsus deprehenditur celer, parvus & tremulus. Urina pallida, tenuis, cruda. Quidam, adulti præcipue, urinam parce mittunt, & profunde tinctam, aut turbidam, sero similem. Oculi apparent graves, rubri, & quasi lachrymosi. Os plenum sæpius, rubrum & tumidum, subinde tamen pallidum & triste. Etsi morbus per diem tolerabilis videtur, noctu tamen exacerbatur plerumque cum delirio aut phrenitide. Paucis horis ante morbi invasionem, nonnunquam cum ipso initio tonsillæ inflammantur. Interdum glandulæ parotides & maxillares simul tument, idque ita subinde, ut strangulationem minitentur; fauces colore summe florido rubroque sunt, nitentque; uvula, tonsillæ, velum palatinum, & posterior pharyngis pars variis albidis,

vel

vel cinereis maculis, quæ subinde *subito* augentur, & in lata profundaque ulcera abeunt, conspergitur. Linguæ apex humidus quidem, sed radix ejus impura, crassa, lutea, aut brunei coloris; habitus nauseosus; & fere intolerabilis. Respiratio difficilis; vox non acuta nec sonus ille latrans, qualis in inflammatoriis anginis esse solet, sed raucedo & vox obtusa, qualis in iis percipitur, qui fauces habent ulceribus venereis obsessas. Profluvium materiæ saniosæ & rodentis ex naribus & ore. Quibus malum asperam arteriam tandem & pulmones corripit, peripneumonica morte enecantur. Adsunt in hac anginæ specie exanthemata varia, & vario morbi tempore, modo quasi erysipelatosa, modo pustulosa magis & miliformia. Subinde rubor tantum brachiorum adest, quasi, ut ait *Huxhamus*, succo ribesiorum illita cutis esset, quem ruborem etiam nos hac verna tempestate aliquoties vidimus. Duratio morbi diversa quoque ejus solutio est. Sanguis venæ sectione detractus aut floridus est, & rarus laxusque, ut penna illum facile diffundas. In epidemia anni 1752 sanguis ab *Huxhamo* observatus, nullum relinquebat serum, sed ita apparebat, qualis esse solet, ubi eidem ex vena profilien-

lienti mox ſpiritus cornu cervi affunditur; qui ejus naturalem congelationem impedit; ſubinde tamen pellicula alba, phlogiſtica, ſed tenuis emiſſum ſanguinem obtegit; ſubinde cruſta plumbei coloris, virideſcens; ſubinde loco tenacioris cruſtæ mollis gelatina reperitur ſanguini emiſſo ſuperimpoſita. Notanda hæc ſanguinis hucusque deſcripti conditio eſt, nam non in hac ſolum angina, ſed in omni ferme maligna febre, petechiali, miliari, ſcarlatina, caſtrenſi, carcerum, noſocomiorum, item in omnibus ferme biliofis talis ſanguinis emiſſi facies eſt; etſi ſanguini emiſſo, fallaciſſimæ utpote rei, parum ſit confidendum.

Conſideranti mihi deſcriptiones hujus anginæ varias, eas præcipue, quas vir ſummus Wilhelmus *Grant*, & quas ante ipſum Huxhamus dedit, illud venit in mentem, anginam hanc malignam non eſſe peculiarem morbum, ſed febris, aut petechialis, aut miliaris, aut ſcarlatinæ intenſiorem solummodo gradum, ubi ſolidorum robur dejectum, & vis vitæ imminuta adeo eſt, ut fauces exulceratæ, quin non fauces ſolum, ſed tota corporis compages gangrænam minetur. Cura *Huxhamiana* conſiſtebat maxime in omnis

ge-

generis antisepticis, iisque fortioribus, evacuatis, aut etiam non evacuatis primis viis, prout e re videbatur. Dedit is mixturas salinas ex sale absynthii, aut sale volatili cornu cervi, ac succo limonum, addito pulvere contrayervæ, & myrrhæ pauxillo, item julapia ex camphora, aut aceto camphorato cum syrupo ribesiorum, aliisque. Demum tincturam suam corticis peruviani alexipharmacam, quam ipso cortice in substantia dato multo tunc utiliorem observavit: fors, quod debilis ventriculus potius tincturam, quam crudum corticem perferret, subigeretque. Dedit item vitrioli elixirium; gargarismata adhibuit ex decocto ficuum, florum rosarum rubrarum; item ex vino pomaceo austero, cum melle & myrrha; subinde tincturam myrrhæ cum spiritu vitrioli commiscuit, & cum aceto camphorato, quibus os eluebatur. De parotidibus frequenter hic observatis id statuebat, aliqua hos tumores ex parte criticos esse; hinc hos maturabat explicatis cataplasmatibus acribus, quin ipsis adeo vesicantibus. Quod si longo post morbum tempore tumor glandulæ parotidis aliter non discutiendus restaret, dedit is exiguis calomelam, seu mercurii dulcis doses,

in-

interpofitis lenioribus & rhabarbarinis purgantibus.

Plures authores de ea ipfa angina *Burferius* a) enarrat.

a) Burferius a Kanifeld inftitutiones Medicinæ practicæ T. III. p. 369. Edit. Lipfiens.

Ea anginæ fpecies, quæ tonfillas, uvulam, palatum occupat, fæpe in fcirrhum abit, præcipue perverfa medela, dum neglecta atque non tentata refolutione, aër frigidus non arcetur, aut medicamentis adftringentibus infiftunt medici. Duplex autem duros hofce glandularum tumores tollendi via datur; refolventium nempe ufu, aut exftirpatione manu chirurgica perficienda. Refolvens methodus fæpe fruftra tentatur, ut unica falutis fpes, ubi fcirrhus amplius refolvi nequit, atque interim mole fua deglutitionem, vel refpirationem lædit, in exftirpatione habeatur, fi fcirrhofus tumor tali in loco hæreat, ad quem manibus & inftrumentis acceffus datur. Acrium, rodentium applicatio cautiffima effe debet, ob cancri metum atque ferme tunc folum, cum duriffimum videtur, ægros hac methodo non tentata certæ morti tradere.

AN-

ANGINA CONVULSIVA.

Duplicem hoc loco anginæ ſpeciem *Boerhaavius* exponit: alteram *paralyticam*, quæ paralyſin unius vel plurium muſculorum deglutitioni inſervientium pro cauſa agnoſcit; alteram *ſpasmodicam*, ſi convulſionum cauſa pharyngis laryngisve muſculos occupat.

Contingit quandoque particularem paralyſin quosdam tantum muſculos deglutitioni ſervientes afficere, unde deglutitio, ſi non omnino impoſſibilis, ſaltem difficilior reddi ſolet. Sic vidit *Tulpius* a) in muliere quinquagenaria poſt vomitum, vertiginem, & ſpasmum cynicum, tam pertinaciter resolvi deglutitionis muſculos, ut ne guttulam quidem transmittere poſſit, licet nec dolor, nec tumor, nec ulla ipſam urgeret anguſtia, unde etiam ſeptima die periit. Hinc affine malum ſatis mirabile vidit *Illuſtriſſimus Swietenius* b) in muliere quadraginta quinque annorum cæteroquin ſaniſſima. Dum enim ante novem menſes optimo valens appetitu prandium ſumeret, mirabatur, quod absque ulla cauſa prægreſſa ſubito impediretur deglutitio, nullum tamen dolorem ſentiebat, nullus tumor apparebat. Medici & chirurgi in conſi-

filium vocati tentaverant plura remedia, neque tamen integre potuerant debellare morbum: manſerat enim tale deglutitionis impedimentum, ut liquida nullo modo, ſolidas vero offas, imprimis majores, transmittere in ventriculum poſſet. Senſim tamen eousque in melius mutabatur morbus, ut dum *Swietenium* conſuleret, novem jam elapſis menſibus a primo morbi initio, liquida potuerit quandoque deglutire, ſi uncias quinque vel ſex ſimul & ſemel ingereret, quam ſubtiliſſima, parvam vero quantitatem nullo modo deglutire valebat. Sic viginti annorum puella, poſt menſium ſuppreſſionem cachectica facta, tandem in deglutiendi impotentiam incidit, unde inſtar ſceleti emaciabatur. Cum nonnulli medici ſtatuerant, glandulas induratas, vel ſimile quid arctare œſophagum, flexili balenæ pinna explorata fuit tota œſophagi longitudo, nullumque inventum fuit obſtaculum. Paralyticum hinc morbum ſtatuerunt, & ad hunc ſcopum remedia exhibuerunt, ſed incaſſum omnia. Ut tamen miſeræ, quantum fieri poterat, ſuccurretur, alimenta dentibus comminuta, & linguæ ope verſus fauces protruſa balenæ pinna, ſpongiam in extremo gerente, in ventriculum de-

du-

ducebantur. Per annum integrum ægra hoc artificium exhibuit; tuncque ſenſim redeuntibus corpori exhauſto viribus, poſtea ſatis ſana vixit.

a) Tulpii obſerv. med. L. I. c. 42.
b) Illuſtr. van Swieten Commentar. ad §. 818.
c) *S*talpart van der Wiel obſerv. T. II. obſ. p. 27.

Huc refertur illa anginæ ſpecies, quæ a luxatione vertebræ cervicis ad interiora contingere dicitur. Ejusmodi caſum *Swietenio* a) videre contigit in infante decem menſes nato, cui caput retro inclinatum erat, guttur prominulum, & manifeſta in cervice cavitas apparebat. Cum autem ob infantis miſerrimos ejulatus exacte locum affectum ſcrutare non daretur, non potuerat accurate diſtinguere, quænam vertebræ cervicis introcesſerit. Nihil deglutire poterat infans, & poſt validas convulſiones hoc malum ſecutum fuerat.

a) Comment. ad 818.

Huc etiam pertinet angina ab oſſe hyoide luxato, cujus primus omnium *Valſalva* a) meminit, deinde Petrus Paulus *Molinellius*

b)

b), quorum alter unum, alter duo exempla hujusce morbi in medium protulit, ut nullum de ea dubium supereſſe poſſit. Anginam ab hoc vitio productam dilucide expoſuit *Burſerius*. c) Itaque luxatur os hyoides, non uti humerus, vel digitorum phalanges, aut oſſa alia, quorum articulos earum aliquid excipit, e quo, cum luxantur, excidunt: ſed ea ferme ratione, qua luxantur oſſa cartilaginibus una connexa, uti oſſa pubis, coccygis, naſi. Tum enim luxari coccyx a chirurgis dicitur, cum ita diſtorquetur, diſtrahiturque, ut manus opera ad eam in ſuam ſedem reducendam opus ſit. Idem ferme accidit oſſi hyoidi, & ſeparatim ejus catilaginibus.

a) Valſalva tract. de aure humana c. 2.
b) Molinellii Comment. inſtit. ſcient. & art. acad. Bonnen. T. V. p. 2.
c) Burſerius inſtit. med. pract. Vol. III. p. 409.

Luxatur autem os hyoides, ejusque appendices vel introrſum, vel extrorſum. Quocunque modo hujus oſſis cornua, aut appendices diſtrahuntur, aut e ſua ſede deflectunt, illud neceſſario ſequitur, ut pharynx quoque, quæ cum oſſe hyoide ope muſculi hyopharyngei jungitur, diſtrahatur, & ſic di-

diſtracta deglutitionem lædat, impediatve. Si igitur vis aliqua oſſi hyoidi vel extrinſecus, vel intrinſecus inferatur, hæc illud, vel aliquas ejus partes facile diſtorquebit, atque adeo luxabit. Sic craſſior duriorque bolus, vel quid aliud ſimile per vim in fauces œſophagumque adactum, & deglutitum extrorſum urgeat os illud, vel ejus cartilagineos appendices neceſſe eſt; quod erit alterum luxationis genus oſſi hyoidis proprium. Contra violenta manuum in guttur injectio, vel exterior ictus, percuſſio, preſſioque os idem, aut ejus cartilagines introrſum inflectet, atque e naturali ſede dimovebit; quod erit alterum luxationis genus, cui illæ partes ſubjiciuntur.

Quando illud accidit, ne gutta quidem, nec quidquam aliud cibi aſſumi & deglutiri poteſt. Interdum etiam ſummi, & crebri deglutiendi conatus accedunt, quales is experiretur, qui bolum in faucibus hærentem haberet, quæ vexatio tanta quandoque eſt, ut multus frigidusque ſudor undique effluat, ac pulſus parvi exilesque fiant. Reſpiratio tamen & loquendi facultas non admodum offenditur. Larynx ſolus e ſua ſede dejectus, ac veluti incompoſitus apparet. Tumor item

ali-

aliquis hunc inter, & musculum sternomastoideum ex alterutro latere cernitur, eoque loco, quo elevatio est, si contrectetur, dolor percipitur. Si his addas defectum, absentiamque eorum, quæ aliarum anginarum sunt propria, eo certius de ossis hyoidis luxatione, ortaque inde deglutiendi difficultate indicium habebis.

Valsalvæ observatio est hujusmodi: Putabat Bononiensis mulier, quæ crassiorem bolum deglutiverat carnis non bene mansæ, multisque imposuerat; se divexari a bolo in faucibus hærente, quem ut inde deturbaret, varia manuum & medicamentorum auxilia tentavit; sed incassum. Jamque elapsum biduum erat absque eo, quod ullum cibum, vel potum assumere potuisset, cum denique a me opem quæsivit. Ego vero omnibus perpensis, cum in aliqua ex appendicibus cartilagineis ossis hyoidis luxationem suspicarer, partem, ut anatomica indicabat cognitio, ita digitis contrectavi, & ilico per unam, vel alteram contrectationem omnia in pristinum statum reducta sunt, sic ut immediate absque ullo deglutiendi incommodo jusculum summere, & cibum mulier modo desperata potuerit. Hactenus *Valsalva*. Hæc observatio exem-

emplum ſiſtit luxationis oſſis hyoïdis a cauſa intrinſecus applicita inductæ. Quas habuit, *Molinellius*, luxationem hæ exhibent, quam genuit vis extrinſecus illata. Prior autem ſic exponitur: Chirurgus annos agens viginti quinque habitu corporis gracilis, cum neſcio quid e manibus eripere niteretur robuſtioris juvenis, manum hic illius collo injecit, atque in mutua illa concertatione virium ad priorem & dextram partem vehementer preſſit. Nihil poſtea ſolidi, nihil liquidi deglutire chirurgus potuit. Elapſa hora de me auxilium quærit. Perſtabat enim ea, quam modo dicebam, deglutiendi difficultas inter ſummos, aſſiduosque deglutiendi ſtimulos, atque conatus, etſiamſi nihil in os quidquam ſummeret ad deglutiendum. Eaque afflictatio ſic opprimebat intrepidum cæteroquin hominem, ut jam multo frigidoque ſudore perfunderetur, & pulſus exiles fierent, nec diu ſe vitam, niſi anguſtiæ vis remiſiſſet, omnino trahere poſſe affirmaret. Haud multum tamen loquendi, reſpirandique turbatam facultatem dixiſſem. Larynx utique deformata non nihil, atque incompoſita viſa eſt. Tumor etiam aliquis hanc inter, & muſculum ſterno maſtoideum dexterum apparuit; ab eo-

eoque loco, ſi tangeretur, dolebat non leviter. En alteram ejusmodi obſervationem in hæc verba: Vir mihi in noſocomio ſe obtulit annos natus duos & quinquaginta, mediocri ſtatura atque habitu, cujus dexteræ, ſuperiorique anterioris colli regionis parti cum manum quis, qua lapidem diſtringebat, iratus impegiſſet, tanta preſſione illam, quanta in eo, de quo antea diximus juvene, deglutiendi difficultas conſecuta eſt, anxietas plane non tanta. Nihil difficultate poſt horas minimum tres remittente noſocomium petiit. Utrosque continuo in integrum reſtituit adhibita facili curationis ratione. Eandem quoque *Burſerius* adhibuit cuidam mulieri, quæ a viginti jam horis nihil prorſus potuerat deglutire, nec ferme aliquid dicere. Præter enim difficultatem deglutiendi, de qua quærebatur, vocis etiam, & loquendi poteſtatis non parum amiſerat. A viatore manu vehementer injecta compreſſæ eidem fuerant fauces. Illico *Valſalvæ & Molinellii* obſervationum recordatus, eam ab omni incommodo liberavit, intra pauca minuta.

Curatio autem ſic inſtituitur. Miniſtro ad caput continendum delecto, dexteræ manus index, ſi luxatio dextrorſum inclinet: ſi

vero

vero ſiniſtrorſum, ſiniſtræ index alte in fauces demittitur tonſillam inter, & linguæ baſin eo latere, in quod luxatio videtur protuberare, vel quaquaverſum modo in unam, modo in aliam faucium partem, ſi affecti loci ſedes nequaquam perſpecta ſatis ſit. Eodem tempore index, mediusque digitus ſiniſtræ manus in primo indicato caſu, dextræ vero in altero extrinſecus collo transverſim admoventur, eo in loco, qui oſſis hyoidis ſedi reſpondeat, indice, qui in fauces immiſſus eſt, os hyoidis leniter promoveatur, flectaturque ſecundum ejus longitudinem, vel in anteriorem partem, vel in poſteriorem, prout luxatio introrſum aut extrorſum contigerit, preſſionem una moderantibus ac dirigentibus digitis collo extrinſecus appoſitis. Idque interdum repetibis vel ter oportet, donec deglutiendi poteſtas omnino redeat; quod momento fere temporis conſequitur. Verum ſi ex luxatione inflammatio orta jam ſit, hæc diſcutienda prius eſt, quam ad oſſis repoſitionem deveniatur, ut facilior evadat.

Alia anginæ convulſivæ ſpecies eſt angina *hypochondriaca*, ſeu *hyſterica*; ſi enim convulſionum cauſa quæcunque muſculos pharyngis, laryngisve occupaverit, oritur ſubi-

to ſuffocativa angina, quæ, licet moleſta ſit; rariſſime tamen periculoſa eſſe ſolet ex ſua natura, niſi a tali morbo ortum duxerit, qui ex propria indole periculoſus eſt: uti v. g. dum in tetano, vel opiſthothono correptis talis angina adeſt. In mobilibus in genere nervoſo hominibus frequens talis angina obſervatur, quales ſunt fœminæ hyſtericæ, & viri hypochondriaci dicti. Mirabilis iſte morbus, qui paſſio hyſterica, vel hypochondriaca vocari ſolet, quavis fere corporis partes occupat, atque talia ſymptomata producit, quæ competunt illi parti, quam morbus invaſit. Nihil frequentius in praxi occurrit, quam globus ille hyſtericus dictus; dum conſtricto œſophagi ſphinctere, aër elaſticus rarefactus illum diſtendit, ſicque tumorem conſpicuum excitat, quo miſeræ fere ſuffocantur. Cum autem ſpasmos illos ex abdomine ſurſum aſcendere ſæpe ſentiant tales mulieres uterum in fauces usque attolli falſo credunt. Plerumque ſatis facile curari ſolet hæc anginæ ſpecies talibus remediis, quæ nimium ſpirituum impetum in harum partium muſculos avertunt, & inordinatos ſpirituum motus ſopiunt. Caſtorei, aſæ fœtidæ, galbani & ſimilium vitioſus odor naribus excep-

ceptus, ſpiritus ſalis ammomiaci ſimili modo adhibitus, ſæpe uno momento tollunt hæc mala, reditura tamen, dum miſeris illis validi animi affectus contingunt. Quasdam vidit mulieres hac anginæ ſpecie correptas *Swietenius* a), quæ adeo mobile habebant totum nervorum ſyſtema, ut anticheryſtica dicta remedia, præcipue acriora, malum augerent potius. Imprimis hoc obſervavit in puella, quæ fruſtra datis optimis antihyſtericis, per quadraginta octo horas nihil omnino deglutire potuerat: cucurbitis absque ſcarificatione nuchæ applicatis uno momento tollebatur malum. Quandoque tamen, quamvis rarius forte contingit, diutius perſtare hanc anginam, imprimis, ſi non adhibeatur idonea medela, ſed purgantibus aliisve evacuantibus tentetur cura. Verum ſi in quodam corporis loco, imprimis circa præcordia, maligni ſtabulentur humores, qui actione regiminis turbando omnes cerebri actiones convulſionem facere posſunt, requiritur horum expulſio per emetica vel purgantia; quæ peſſime, cedere ſolent, dum a ſolo perturbato ſpirituum motu convulſivo naſcitur. Talis caſus deſcribitur in actis *Edinburgenſibus* b), ubi juvenis angina convulſiva laborabat, feliciter curata, dum

eme-

emeticis & purgantibus deturbatur biliosa saburra. Verum ægri robur, sapor amarus, vel & salsus continuo perceptus, satis indicabant, quomodo & per quæ remedia cura tentari posset.

a) van Swieten Comment. ad §. 818.
b) Medical Essays T. I. p. 277.

ANGINA AQUOSA.

Quando tumor albus, aquosus, frigidus absque inflammationis validæ comitantis signis, occupat illas partes, quo deglutitioni vel respirationi serviunt, vel in vicinis locis similis tumor natus horum organorum functiones turbat, dicitur adesse angina aquosa, vel œdematosa. Raro magnus dolor hanc anginæ speciem comitatur: quia œdematosis tumoribus proprium est, ut indolentes sint. Si autem quis dolor adsit, ille plerumque tantum a distractione partium per hos tumores facta nascitur. In debilibus, pallidis, leucophlegmaticis, in quibus totum fere corpus frigido & inerti tumore turget, tonsillæ quandoque pariter tument, pallidæ omnino. Verum & in vicinis partibus similes tumores nasci poterunt a variis causis.

Huc

Huc etiam refertur catarrhosa tenuis. Uti enim catarrhi sedes est membrana illa mucosa, quæ nares internas, fauces, œsophagum, asperam arteriam &c. investit; atque hæc membrana, dum catarrho laborant homines, tumet, & sæpe acrius liquidum plorat, quod nares excoriat, & vicina loca, per quæ depluit, irritat. Si ergo illa membranæ pars, quæ uvulam, pharyngem, tonsillas &c. investit, simili afficiatur modo, deglutitio læsa erit. Si laryngem, vel asperam arteriam idem morbus corripiat, cum molestissima tussi impedietur libera respiratio. Evidenter hoc apparet, quando catarrhi epidemice grassantur; tunc enim quibusdam tonsillæ tument, aliis molestissima tussis adest, aliqui obtuso dolore capitis cum plenitudinis sensu laborant, a tumente eadem membrana in sinubus frontalibus, uti admodum probabile videtur. Imo in quibusdam manifeste observatur, per varia membranæ Schneiderianæ loca eundem morbum successive oberrasse, & pro diversitate locorum varia dedisse symptomata; quæ tamen omnia eadem curandi methodo tolli poterant. Quamvis autem levis, & quasi superficiaria hujus membranæ inflammatio sæpe in catarrhosis illis morbis observetur; cum

ta-

tamen facile resolvatur illa, nisi perversa curatione exasperetur, & copiam tenuioris liquidi, in initio saltem catarrhi, plorent hæ partes, ad hanc anginæ speciem potius refertur, quam ad inflammatoriam, quæ longe pejoribus stipatur symptomatibus, ingens discrimen habet, & longe validiora remedia requirit.

SEDES ANGINÆ AQUOSÆ.

Dum aquosa colluvies in corpore aggregatur, illa non hæret in vasis arteriosis & venosis, per quæ jugi motu moventur fluida, sed in cavis majoribus, & minoribus corporis aggregatur. Tales lymphatici tumores fieri possunt in tunica cellulosa, quæ musculos in his locis positos, illorumque fibras investit; & uvula quandoque tali tumore albo aquoso obsidetur. Verum & numerosi in his locis folliculi, in quorum cava secretus ab arteriis liquor dat mucum omnia hæc loca lubricantem, obstructis illorum emissariis, sic dilatari posse videntur, & aquosos tales tumores facere. Ubicunque ergo reconditur & excernitur secreta arteriis lympha, si ejus resorptio per venas bibulas, vel ejus excre-

tio-

tio per emiſſaria impediatur a quacunque demum cauſa, tales tumores naſci poterunt; ſive diſperſi per membranam celluloſam, ſive in cavo quodam naturali, aucto per aggeſtionem liquidi contenti. Boerhaavius in nobili virgine talem tumorem vidit, qui ab oſſe hyode ad ſcapulæ acromium usque totum colli latus occupabat, & mole ſua liberum muſculorum accumbentium motum impediebat. D v ſis ſcalpello integumentis enucleabatur ille tumor, atque apparuit, liquidum limpidum, utcunque lenteſcens membrana ſatis tenaci incluſum hunc tumorem conſtituiſſe. Similem vidit *Swietenius* tumorem ſub muſculo maſtoideo hærentem, magnitudine ovum columbinum æquantem; & plures tales caſus apud collectores obſervationum medicarum inveniuntur.

CAUSÆ ANGINÆ AQUOSÆ.

Ingens equidem cauſarum numerus, & diverſitas eſt; interim tamen ad ſequentes claſſes reduci poſſunt.

Compreſſio venarum quæcunque: Pulcherrimum experimentum inſtituit *Lovverus* a), quo directe probatur, compreſſionem vena-

rum

rum tumores tales lymphaticos in glandulis efficere. Venas jugulares ſubducto filo ligaverat arcte in cane vivo, & poſt aliquot horas partes omnes ſupra ligaturam miro intumeſcebant modo, & intra biduum canis quaſi angina ſuffocatus interiit. Toto autem hoc tempore lachrymæ ubertim & copioſiſſima ſaliva ex ore ſtillabat, æque ac ſi hydrargyro aſſumpto ſalivationem pateretur hoc animal. Poſt mortem animalis, tum cutem a tumefactis partibus ſeparaaret, credens ſe ſanguine extravaſato turgida inventurum omnia, mirabatur, quod nullum veſtigium, vel colorem fere ſanguinis obſervaret, ſed muſculi omnes, & glandulæ ſero limpido maxime diſtentæ, & admodum dilucidæ apparerent. Ateoremata, ſteatomata, ſimilesve tumores circa hæc loca nati, comprimendo vicinas, venas mole ſua, aquoſam anginam ſic facere poſſent.

a) Lovverus de corde cap. 2. p. 223. 123.

Obſtructio nata in ipſo folliculo glandulæ. Docuerunt obſervationes talia in quibusdam glandulis circa hæc loca diſpoſitis hæſiſſe impedimenta. Unum alterumve hujus rei exemplum

plum sufficiet. Homo, dum hyemali tempore per mare iter faceret, valido laborabat catarrho, qui diutius solito affligebat, & aliquo tempore postea durum tumorem sub lingua natum observavit circa aperturam doctus Warthoniani. Mansit per septem annos ille tumor absque magna molestia, nisi quod doleret locus, dum catarrho corripiebatur. postea sæpe subito incipiebant tumere omnes glandulæ circa hæc loca dispositæ, simul ac in prandio vel cœna primum cerevisiæ haustum summeret, tumore tamen brevi evanido. Octavo autem anno, prægressa vertigine, incepit locus affectus subito tumere, & per ductus *Warthoniani* aperturam pus exire cœpit: suppressa dein subito puris evacuatione tumor augebatur, cum imminentis strangulationis periculo. In his angustiis mansit æger per quinque dies, cum incredibili salivæ profluvio, tuncque inciso loco eductus fuit calculus albicans, sed viridi purulenta materie tectus, figura sua & molle fabam equinam referens, pondere æquans septem grana, atque in superficie sua habebat manifesta vestigia capillarium quasi vasculorum, quæ contiguo ipsis calculo, & adhuc molliori has notas impresserant. a) Similem calcu-

culum ex linguæ radice prodiiſſe in alio ægro ibidem pariter habetur, pluraque ſimilia exempla apud auctores occurrunt.

a) Acta anglicana V. 83. p. 4062.

Frigus finibus excretoriorum meatuum applicatum. Contrahi per frigus aëris arteriolarum exhalantium in corporis ſuperficie oſcula docuerunt *Sanctorinus*, *de Gorter*, aliique, qui de ſtatica medicina ſcripſerunt; experimentis enim directis invenerunt, perſpirationem inſenſibilem dictam minui, dum ſubitum & inſolitum frigus partes corporis afflaret. Verum omnes partes oris interni, faucium, laryngis, aſperæ arteriæ &c. perpetuo rore ex ultimis illis emiſſariis exhalante, madent, & foventur; & longe plus perſpirare videntur, quam reliqua corporis externi ſuperficies. Dum ergo in his locis ultimi illi meatus excretorii frigore ſtringuntur, vaſa, quæ liquidum exhaluturum adferebunt, auctis circa fines reſiſtentiis, magis dilatantur, & tument, dum manet, imo & augetur potius, liquidi per vaſa hæc motus. Cum autem vaſa hæc afferentia tutius recondantur, non tam cito, nec tam valide poterunt conſtrin-

ſtringi a frigore: adeoque tumebunt, & di-latabuntur, atque ob hanc cauſam reſeratis poſtea meatibus exhilantibus hæc vaſa dila-tata pergent majorem copiam humorum, & craſſiorem ſæpe transmittere.

Evidenter hoc apparet in gravedine, ſi-ve catarrho, qui morbus nunquam frequen-tius affligit, quam ubi calidam aëris tempe-riem ſubitum frigus excipit; uti dum poſt ſummos æſtivos fervores tonitu cum imbri-bus & grandine ſequitur, & ſubitum frigus aëri inducit, uti etiam, dum largo foco ca-lidum corpus acri hyemali frigori ſubito ex-ponitur. Membrana enim nares inveſtiens in-ternas tunc ſæpe ſic tumet, ut omnis aëri per nares aditus impediatur. Poſtea copioſus hu-mor de naribus deſtillat, & ſæpe ſatis ſpiſſus. Prout jam ſimile malum varias partes occu-pat, diverſa parit ſymptomata in naribus ſter-nutationem & coryzam dictam; in tonſillis, pharynge, faucibus deglutitionem impedit; in larynge, aſpera arteria, pulmone tuſſim facit, & quandoque reſpirationis impedimen-tum, prout magis minusve partes affectæ tu-ment. Simul etiam patet ratio, quare debi-lioris conſtitutionis homines, & ſæpius & validius his morbis affligantur, quia nempe

mi-

minus firma in his vaſa, obſtructis excretoriis meatibus facilius dilatantur, & dilatata non tam cito in priſtinam dimenſionem redeunt; unde quandoque horum locorum vaſa ſic degenerant, ut pergant diu & valide humores per has vias expellere, ſicque totum corpus emungatur, inde in verum marasmum incidant tales ægri. Legi merentur, quæ de hac re habet *Simſonius* a) ubi explicat, quomodo ex frigore corrumpantur humores. Patet hinc ratio, quare *Celſus*, qui ſana & firma corpora exercitiis validis uti voluit, & interdum balneis, interdum aquis frigidis muniri ſic, ut absque noxa ſubitas aëris viciſſitudines tolerare poſſent, b) imbecillos monuerit, ut caveant meridianum ſolem, matutinum & veſpertinum frigus, itemque auras fluminum atque ſtagnorum; minimeque nubilo cœlo ſoli aperienti ſe committerent, ut modo frigus, modo calor moveat; quæ res maxime gravedines deſtillationesque concitat. „ Simul apparet, quare *Hippocrates* dixerit c): *frigida, velut nix & glacies, pectori inimica, tuſſes movent, & ſanguinis erruptiones cient, & catarrhos excitant.*

a) Simſon Diſſert. 3. p. 100.
b) Celſus L. I. c. I.
c) Hippocrates aph. 24.

De-

Debilior humorum circumactio. Notum ex phyſiologia, illam vim, qua minimæ venulæ abſorbentes imbibunt effuſos in varia corporis loca humores, creſcere & decreſcere proportionaliter ad circulationes vires; atque hæc eſt ratio, quare in morbis acutis, ubi nimia adeſt circulationis velocitas, exſiccentur omnia: in languidis & chronicis morbis vero, ſenſim accumulatis hunoribus, turgeat totum corpus. In chloroſi laborantibus puellis hæc res evidentiſſime apparet: albo enim tumore totum corpus occupatur, dum languet humorum per vaſa motus. Ubi autem ſalutari ferri, imprimis in acidis vegetabilibus ſoluti, uſu firmantur ſolidæ corporis partes, & inſtauratur languens humorum motus, ſubſidet ille tumor brevi absque ullis evacuantibus adhibitis. Debilior ergo humorum circumactio inter cauſas anginæ aquoſæ numeratur, quatenus nempe in corpore accumulatur aquoſa colluvies; imprimis autem ſi concurrant talia, quæ hanc colluviem verſus loca enumerata determinant.

Ex ante dictis patet, quinam hujus mali effectus ſint: partium nempe affectarum tumor; verum non inflammatorius, ſed laxus, mollis, frigidus, aquoſus.

Diagno-

Diagnosis autem hujus morbi pariter ex ante dictis evidens est. Tumor enim albus & aquosus sensibus patet; simul absunt signa inflammationis. Confirmatur diagnosis, si historia morbi docuerit, tales causas prægressas fuisse, quæ huic morbo producendo favent. Prognosis autem docet, cæteris paribus talem anginam minus periculosam esse illa, quæ ab inflammatione fit. Reliquæ autem prognosis diversitates a causa cognita mali, & loco, quem tumores tales aquosi occupant, desumuntur. Sic v. g. facilior cura prævidetur, si a pituita obstructa fuerint emissaria, quam a calculo. Longe majus discrimen imminet, si circa laryngem tales tumores hæserint, quam si pharyngem aut laryngem occupent.

CURATIO ANGINÆ AQUOSÆ.

Ad quatuor capita omnis anginæ hujus cura reducitur:

1. *Causas obstruentes tollere*: Huc pertinent primo emollientia forma varia applicata. Insignis præcipue horum usus est in angina catarrhosa, dum frigus finibus excretoriorum meatuum applicatum morbum fecit.

Pes.

Peſſimus apud vulgum mos obtinuit, tentandi ſimiles morbos calidiſſimis remediis, quia nempe a frigore ortum illos duxiſſe apud omnes in confeſſo eſt. Pulcherrime curantur tales anginæ, ſi potus aquaſos tepidos, leviter aromaticos magna copia ſumant ægri, ex radicibus bardanæ, ſcorzoneræ, quinque radicibus aperientibus &c. paratos; victum inſtituant ex ſolis carnis vitulinæ juſculis, cum endivia, lactuca, chærophyllo &c. decoctis; ab omni acri, ſalſo, aut indigeſtibili cibo abſtineant; in aëre tepido degant; nares, os internum, fauces tepidæ aquæ halitu foveant frequenter; vel gargarismata, colutoria, fomenta ex ſimilibus parata ſæpe & diu ore contineant; cataplasmate ex molliſſimis parato colli anteriora involvant; deinde bis vel ter de die remoto cataplasmate linteo molli leniter perfricent. Omnibus enim his conſpirantibus reſerantur conſtricta a frigore emiſſaria, omnes humores diluuntur & attenuantur, vaſaque ſic diſponuntur, ut facillime illos transmittere poſſint; dum ſimul leni ſtimulo aromatico laudatorum remediorum multa aqua diluto ad blandam diaphoreſin, tanti in his morbis uſus, diſponitur corpus.

Ubi vero aquofa colluvies in cellulola tunica harum partium aggefta, tumores facit, vel magnitudine, vel fitu fuo moleftos, aut periculofos, facile patet, emollientibus illis & laxantibus remediis locum non effe; fed tunc potius illa conducunt, quæ poftea enumerantur; aut fi periculum in mora videtur effe, ne tumores aucti fuffocationis periculum inducant arte chirurgica via conciliatur aggeftis aquofis humoribus. Ita *Hippocrates* a) dum uvulæ apex aqua impletus effet; ejusque pars extrema, rotunda & pellucida, refpirationem interciperet, juffit, ut uvulæ extremum digito prehenfum, & furfum ad palatum appreffum difcinderetur. Et alio in loco b) diferte monet, hanc fectionem inftituendam effe, ut aqua educatur, tentatis prius gargarismis, cucurbitis &c. *Celfus* c) in fimili morbo voluit, ut volfella prehenfæ uvulæ extremum refcinderetur, monens hanc curam tunc tantum locum habere, quando uvula a pituita deducta eft; quando autem inflammata dolens, & rubicundi caloris effet, tunc fine periculo refcindi non poffe ob hæmorrhagiæ metum; hoc & monuerat *Hippocrates* d), ex quo loco etiam patet, quod in fimili cafu & uftio-

uſtionem adhibuerit. Fuſius de hac operatione a ſcriptoribus chirurgicis agitur.

a) Hippocrates de morbis. L. 2. c. 10.
b) — — — de affection. c. 2.
c) Celſus L. 7. c. 12.
d) Hippocrat. in prognoſt.

Neque tantum in uvula, verum etiam in aliis locis tales tumores deprehenſi fuerant, tantæ quidem molis quandoque, ut absque ſectione curari non poſſent. Contigerat talem caſum videre *Swietenio* in honeſta matrona roterodamenſi; narrabat, quod ante novem circiter ſeptimanas morſu leviter læſerat inferiorem linguæ partem, atque hanc mali credebat eſſe originem. Paulo poſt ſub lingua incepit naſci tumor, intra novem ſeptimanas adeo auctus, ut totum illud ſpatium, quod inter linguam & dentes anteriores maxillæ inferioris eſt, occuparet non tantum, verum etiam in collo manifeſte protuberaret. Frictionibus, fomentis, purgantibus, hydragogis incaſſum tentata fuit curatio; cum autem nulla ſigna docerent, aneurismaticum eſſe tumorem, uti crediderant quidam, juſſit, ut ſub lingua prominulus tumor lanceola pertunderetur; quo facto exivit incredibilis copia hu-

moris pellucidi tenacitate ſua albumen ovi re-ferentis; ſubſedit ſtatim tumor; deglutitio ante impedita, liberrima fuit, & adſtringenti fomento per aliquot dies ore retento perfecte convaluit; ſic ut poſt aliquot menſes nullum tanti tumoris relictum veſtigium deprehendere potuerit.

II. *Humorum aquoſorum copiam minuere.* Omnia, quæ aquoſam colluviem diſſipant de corpore ſudoribus excitatis, vel per alvi aut urinæ vias eliminant, hic locum habere poterunt. Sudorifera autem vel ſunt talia, quæ copiam aquæ ſanguini ſubminiſtrant, & dein laxatis, & fotis blando calore lecti vaſis cutaneis ingeſtæ exitum per corporis totam ſuperficiem parant, ut ſimul cum his ſudoribus diffletur noxium quid in corpore hærens; vel alia adhibentur ſudorifera, quæ non aquæ copiam in ſanguine, ſed ſtimulo ſuo humorum velocitatem augent, ſicque efficiant, ut eodem temporis ſpatio organis ſecretoriis cutaneis major longe copia liquidi ſecernendi applicetur. Quandoque & binæ hæ ſudoriferorum ſpecies junguntur utiliter, dum penetrabilia & calida aromata largæ copiæ aquæ infuſa propinantur. Verum in hoc caſu, cum aquoſa colluvies abundet in corpore, aquoſa

ſu-

ſudorifera non conveniunt, ſed ſicca; quæ nempe calore majori excitato, & aucta humorum velocitate agunt. Hæc vel ſunt externa, ut calor lecti, aëris, panni calidi corpori applicati, ſpiritus vini accenſi vapor nudum corpus ſtragulis tectum undique lambens, quo vix potentius noſcitur ſudoriferum, dum & magnum ſatis calorem facit, & ſimul penetrabiliſſimo halitu totam cutis ſuperficiem laxat, & maxime perſpirabilem reddit. Vel ſunt interna, quæ calida aromatica humores per totum corpus validius movent. Satis autem patet, ſimilia locum habere non poſſe, ſi vel minima inflammationis ſupicio ſit; ſed tunc prodeſſe tantum, dum frigus, inertia, & lymphæ copia in corpore prædominantur. Idem de diureticis ad lymphæ copiam evacuandum adhibendis, verum eſt; ut nempe ſummantur talia, quæ ſtimulo, non autem aucta liquidi copia agunt. Hydragoga autem dicta purgantia, quod copiam aquæ tenuis alvo ſubducant, ſummi pariter hic uſus: qualia ſunt Jalappæ radix, ſcammoneum &c: his enim ſic depleri poteſt corpus & ſubito quidem, ut bibulæ venæ depletis majoribus vaſis, cito reſorbeant effuſam in cava corporis lympham.

Om-

Omnia autem hactenus memorata lympham universo de corpore subducunt quidem, sed non directe loca affecta levant; unde & alia remedia in arte medica ad anginam aquosam laudantur, quæ vel a locis affectis, vel saltem vicinis maxime partibus lympham evacuant. *Apophlegmatismi* huc spectant, sic vocata remedia, quia plegmatis, sive pituitæ copiam educunt majori copia ex illis corporis locis, in quibus naturaliter secerni ad usus proprios mucus solet, præcipue autem hæc applicantur naribus, vel ori interno. In hunc usum ergo nares internæ aquæ calidæ vapore laxari poterunt; vel lavendulæ, majoranæ, pulegii, & similium foliis viridibus contortis & naribus inditis stimulari. Earundem herbarum siccatarum, & contritarum, aut nicotianæ pulvis in non assuetis, eundem usum præstat, si naribus attrahatur. Eidem scopo inserviunt acriora aromata, si ore contineantur, ut irritati his meatus excretorii & glandularum emissaria magnum salivæ & muci copiam; quod pulcherrime obtinetur, si v. g. masticies aut ceræ unciæ misceatur drachma una vel altera radicum pyrethri, piperis, zingiberis &c. atque ex illis fiant placentulæ, continuo ore volvendæ, masticandæ.

Dum -

Dum enim non diſſolubilis in ſaliva maſtiche aut cera dentibus teritur, acre illis miſtum aroma exſpirat, & oris interni, & linguæ partes aſſiduo ſtimulando incredibilem copiam ſalivæ & muci elicit.

Veſicatoria autem nuchæ, collo, pone aures &c. applicata pariter huc ſpectant; quatenus nempe epidermidem in veſicas lympha plenas attollunt, ſicque ejusdem copiam minuunt, ſimulque irritando vicinas locis affectis partes impetum ab iisdem aliorſum avertunt.

Huc etiam pertinet *Pringlii* a) linimentum volatile, quod ex duabus partibus olei olivarum & una parte ſpiritus cornu cervi conſtat, quibus panni lanei impraegnantur, & collo circumvolvuntur. Ab eo enim remedio in collo, & ſubinde per totum corpus ſudor prolicitur.

a) Pringle Beobachtungen u. d. Kr. der Armee. S. 162.

4. *Diæta exſiccante.* Fruſtra enim ſubducerentur aquoſa de corpore, niſi ſimul caveretur, ne talia ingerantur. Simul etiam apparet, diætam talem ſiccam & calefacientem me-

merito laudari, ne homines in tales morbos proni caufam materialem horum morborum colligant in corpore, minime vero fufficere folam ad morbum præfentem tollendum, cum fubita collectæ in partibus tumentibus lymphæ evacuatio requiratur, quæ a folo victu exficcante & calefaciente exfpectari nequit.

4. *Augere vim circulationis.* Cum debilior humorum circumactio inter caufas anginæ aquofæ, quatenus nempe inde aquofæ colluvies in corpore aggeritur, materialis in hac fpecie anginæ caufa; patet ratio, quare in cura hujus morbi commendentur & illa, quæ circulationis vim augent. Verum, uti prius dictum fuit, non adeo ad curam morbi præfentis, quam ad prophylaxim futuri fpectant illa remedia, quæ circulationis augmentum faciunt. Interim tamen illa, quæ ad fecundum numerum laudata fuerunt, motum humorum in toto corpore, vel faltem in partibus, quibus applicantur, accelerant, adeoque utcunque & hoc effectu confpirant.

Anginæ aquofæ genus quoddam peculiare conftituit glandularum falivalium, imprimisque parotidum & glandularum maxillarium tumor, infantibus familiaris: Galli *Oreillons* & *Ourles* vocant a), quo non folum deglu-

ti-

titio, sed etiam ipsa oris apertio impeditur. Is infarctus fugax est, & nullam febrim movet, omnique periculo vacat; nec medicamentis, nisi diluentibus, sudoriferis, adjuncta congrua victus & regiminis ratione ad celeriorem impetrandam resolutionem indiget. Aliquando tamen, sed raro contingit, ut parotis ad suppurationem vergat, quam commodis auxiliis juvare expedit; cum eo, ut mature deinceps pus evacuatur, eoque prospiciatur, ne viam sibi ad pectus faciat.

a) Rudolph. August. Vogel academicæ prælectiones de cognosc. & cur. morbis. §. 192.

In *Helvetia* quoque frequens hic morbus est. Infantes huic anginæ præ adultis obnoxii. Ægri plerumque absque febre sunt. Cataplasmatum emollientium usus, diæta tenuior, excarnis, abstinentia a vino, & potus diluentes tepidi morbum tollunt. *Illustris Tissot* a), cum anno 1754 hoc morbo detineretur, per quatuor dies infuso melissæ, cui quarta pars lactis admisceretur, usus est, & pane abstinuit; atque ita sæpius ab ejusmodi angina curatus est.

a) Tissot avis au peuple ch. 6.

Mor-

Morbus nunc descriptus sæpe epidemice grassatur, atque tam late, ut ne convalescentes quidem ex aliis morbis prætereat, e. g. in constitutione epidemica anni 1753, quam *Bononiæ* vidit, atque exactissime descripsit *Thomas Laghius* a). Talem quoque constitutionem describit *Burserius* b), quæ anno 1782 Mediolani grassabatur, & *Genuenses* simul atque *Taurinenses* vexabat. Morbus hic mense Martio post magnam nivium copiam, frigusque repentinum caput extulit. Parotides & maxillares glandulæ enormiter tumebant, tentabantur notabili duritie manui renitentes. Non admodum tamen, nec vehementer dolebant. Calor cutis vix mutabatur, & si quis tumor extrinsecus apparebat, is levissimus profecto erat. Sed febris continua inæqualis, plerumque vehemens cum iis complicabatur exceptis paucis quibusdam, qui levius affecti sunt. Gravius afflictis non deerant virium languor, & dejectio, nausea, vomituritio, crebra suspiria, & facilis in lipothymiam lapsus, in primis situ erecto. Inter initia non omittebantur blanda eccoprotica, clysteres, potus diluentes, & diapnoici, & sanguinis missio; qui tamen nullo glutine pleuritico tegebatur, in hisce morbis, ut ex aliorum quo-

que

que obſervatis conſtat, deficere ſolito. Sua ſtadia morbus perficit, ut plurimum octo, vel novem diebus; ſolvique conſuevit, aut alvi fluxu, aut ſudoribus, aut urinarum copia, aut narium hæmorrhagia. Pueris & adoleſcentibus in quarta, aut ſeptima ſponte ſanguis e naribus prorumpens plerumque veram criſin, qua ilico ſanabantur, apud *Bononienſes* præſtitiſſe viſus eſt. Neminem ex hoc morbo, licet gravi, unquam periiſſe conſtat. Nolim tamen, qui plus æquo ſibi confidat, & temere aſpernetur ejus benignitatem; cum fieri aliquando poſſit lethalis ad pulmones, aut cerebrum metaſtaſis.

a) Laghius. Bononiens ſcient. & art. inſtit. T. V. p. 1.
b) Burſerius l. c.

Cum major eſſet morbi epidemici vehementia magna aderat in metaſtaſes colluviei ſeroſæ ad varias partes proclivitas:

1. His parotidum tumoribus in quibusdam *anaſarca* ſupervenit, omnino ſimilis illi, quæ nonnunquam ſupervenit purpuræ ſcarlatinæ, ſumma cum ſpirandi difficultate, & acuta febre.

2. Quibusdam vomitus acceſſit a metaſtaſi morbidæ materiæ ad ventriculum; qua facta evacuatione, melius ſe habere cœperunt ægri. Diverſus erat ille vomitus ab illo, qui ſæpe ex ſola generis nervoſi irritatione oriebatur.

3. Alios decedente parotidum tumore dolor capitis invadit, hemicraniæ periodicæ non abſimilis, isque certo evaneſcit, ſuccedente ſcroti, aut teſtium tumore.

4. Hic teſtium tumor in morbis epidemicis jam ab *Hippocrate* a) obſervatus eſt. Eandemque vere anni 1750. obſervavit Joannes *Targionius Tozzetius* b), & poſt hunc anno 1753. Cl. *Laghius* c). Nec *Burſerium* circa idem illud tempus faventiæ medicinam facientem, ubi epidemicus erat morbus, rarum hoc metaſtaſeos genus præterfugit. Hoc ipſum phœnomenon viderunt alii, in quibus non prætereundus eſt *Rochardus* d); & nuperrime, anno videlicet 1782. *Genuæ*, ubi morbus iſte epidemice increbuerat, *clar. Pratolongus*. Scroti igitur, teſticulorumve tumore ſuperveniente, & febre inde vehementiori facta continuo iteranda eſt ſanguinis miſſio, vel primum inſtituenda in iis, in quibus antea omiſſa fuerat; fotusque emollientes adhibendi, ut non

mo-

modo dolor, & inflammatio leniatur, ſed tumor paulatim & blande ſubſideat. Solent enim tam paritidum, quam ſcroti ejusmodi tumores reſolutione finiri, nunquam ſuppuratione, ſi quidem apta iis fiat medicina. Ex quo patet, mobilem & ſolubilem eſſe eorum materiem.

a) Hipp. Epid. ſtat. 3.
b) Torzetti Raccolt. d'oſſerv. p. 176.
c) Laghi de Bonor. ſcient. & art. inſtit.
d) Journal de med. T. VII. p. 379.

Mulieres vero, quamquam hæ rarius in parotidum tumorem inciderent, eo itidem detumeſcente doloribus lumborum & pubis corripiebantur, ac ſi iis menſtrua imminerent, quæ utique aut imtempeſtive erumpebant, aut eorum loco pruritus, & caloris ſenſus pudendum præter conſuetudinem invadebat. Fœminis etiam quandoque œdomatoſa angina laborantibus mammas turgere celeb. *Selle* monuit a)

a) Selle Medicina clinica. c. de ang.

Specimen hujus conſtitutionis aliquod dant binæ hiſtoriæ, altera graviorem, altera mitiorem ſpeciem ſiſtens.

Ado-

Adolefcens tres & viginti annos natus, temperamento fanguineo melancholico prædítus, frigori, ventis, aërique nocturno fingulis diebus fe incautius objicere folitus in hunc morbum incidit. *Prima* die fine febri manifefta parotides cœperunt tumefieri, & dolere. *Secunda* earum tumor auctus eft, & fimul maxillares glandulæ tumidæ evaferunt cum exigua febre, qua coactus fuit lectulum petere. Eadem die falem catharticum amarum fumpfit, quo fatis bene purgatus fuit. Die *tertia*, cum febris increviffet cum pulfu valido & magno, fufpiriis crebris atque anxietate, & corporis totius jactatione, & dolor cum aliquo rubore cutis conjungeretur, fecta ei eft vena in brachio, & miffæ fanguinis unciæ decem, qui nihil phlogiftici oftendit. Hinc aliquantum febris quidem remifit, non vero tumores, qui contra incrementum cœperunt usque ad diem quintum. Interea cibum appetebat, fomno fruebatur; & viribus etiam, dum in lecto erat, videbatur valere. Id folum quærebatur, quod fubinde ftomachi quodam languore, & fi e lecto furgeret, facile lipothymia corriperetur. Die *quinta* ei iterum datum fuit lene catharticum, quod tamen alvum non fubduxit. Horis pomeridia-

nis

nis febris fine ullo frigoris aut horroris indicio exacerbata eft. Nox fuit implacida. Mane diei *fextæ* valida febris exardebat, calorem ingentem in interioribus partibus caufabat, & præterea fufpiriis, naufea, inquiete, fiti, dolore capitis pulfante vexabatur. Arteriæ vehementer fubfiliebant. Facies univerfa tumebat. Idcirco decem fanguinis unciæ ex altero brachio detractæ, in quo nihil vitiofi repertum eft. Vefperi quidquid biberat & comederet bis vomuit, & poft vomitum aliquantum levatus eft, & conquiefcere cœpit. *Septima* die mane febris minor, caput liberum, facies & parotides minus tumidæ; fed crebri vomitus a potu, qui plerumque nihil excernebant, nifi quod biberat, cum pauca interdum bile flava permixtum. Vefpere iidem vomitus. Iteratis enematibus oleofis factum eft, ut alvus laxata excrementa naturalia dejiceret. Hinc vomitus paulatim fedati; fic ut nocte *octavæ* diei quies, & fomnus tranquillior fubfequeretur. Die *nono* omnia in melius verfa funt, ægro ferme apyretico. Die *undecima* tumores omnino evanuerunt. Potui datum eft dilutum foliorum Thee, aqua cum fucco mali medici, ferum lactis defæcatum; fed potu quocunque ftomachus turbabatur, vomi-

mitu insequente. Extrinsecus adhibita fomenta emollientia fuere ad secundum usque febris accessionem. Tunc ab omnibus topicis, quæ parum feliciter cedere videbantur, abstinere satius existimatum est. Resolutio autem leni febris motu, vomitibus spontaneis, alvi dejectione per clysteres obtentis, & urinæ copia potius, quam sudore perfecta est.

Historia II. Decem aut duodecim diebus post sexagenario cuidam, qui adolescenti huic assidue adstiterat, postquam quadam die præter consuetudinem in aëre aperto diutius deambulasset, leviter intumuit parotis sinistra, sed modico dolore. *Secunda* die dolor auctus, & ad aurem protensus est, quo manducatio impediebatur. Nocte insequente dolor molestus somnum ferme omnem arcuit. Quare die *tertia*, etsi febri vacuus esset, lectulo se continuit. Alvum lenienti medicamento solvi, & sanguinem, qui admodum firmus & densus deprehensus est, ex brachio mitti curavi. A sanguinis missione dolor valde imminutus est. Doloris locum linteolo applicito a frigore, & aëris attactu defendebat, semel tantum quadam nocte, cum dolor molestior esset, admovit cataplasma ex pane & lacte una decoctis, quo non solum dolor, sed

tu-

tumor etiam ſubſedit. Intra ſex aut ſeptem dies fere ex integro convaluit, aliqua ſolum difficultate mandendi ſuperſtite ad aliquot dies. Ab una parotide ad aliam non tranſiit, ut fere ſolet, malum. Abfuit vomitus, anxietas, languor, & febris; neque ad tantam magnitudinem tumor, quam in aliis vidimus, pervenit. Fortaſſe minor cauſa procatarctica minorem quoque morbum fecit.

Hiſtoria III. Initio Septembris anno 1783, iterum iſte parotidum morbus revixit, ſed ſporadicus; eosque corripuit, qui aëri humido & frigido, imprimis veſpertino, caput & collum incaute expoſuerunt; ſed plerumque mitis fuit. Juvenis quidam temperamento ſanguineo-pituitoſo, habituque pinguiori præditus, cum veſpere ſcriptioni diu operam navaſſet feneſtra e latere aperta, tempeſtate humida & frigida, paulo poſt dolorem levem in parotide ſiniſtra percepit. Dolor nocte increvit. Applicuit ſacculum cum farina tepente. Mane poſtero parotis valde prominebat, calore prope naturali, non admodum dura; nec dolor magnus erat. Tenſionis tamen ſenſus quidam moleſtus ad vicinas partes caputque protendebatur; nulla febris. Medicus conſuluit, ut tectam parotidem ab aëris in-

juriis & frigore ſervaret, parum loqueretur, a manducatione abſtineret, & dilutum florum ſambuci infuſum ſæpiuscule hauriret, & aliquot ſubinde cochlearia ſumeret mixturæ, quæ nitrum, rooh baccarum ſambuci, & ſyrupum rubi idæi recipiebat, lectulique calore perſpirationem excoleret. Veſperi febricitabat, ſed leviter. Sudavit, & nocte tranquille dormivit. *Altero* mane tumor videbatur latius diffuſus. Pulſus frequens, cætera eodem. Nox deinde tranquilla. *Tertia* die mane parotis non parum detumuerat. Hinc datum lene eccoproticum ex ſale mirabili, & ſyrupo mannato, quo bis alvus laxata eſt. Veſperi melius. Mane diei *quartæ* pulſus naturalis; urinæ ſaturatiores; tenſio & tumor multo minor. Die *quinta* tumor evanuit ex toto. *Sexta* domo exire cœpit. Nullus vomitus, nulla ad teſtes metaſtaſis ſubſequuta eſt. Alios vero non nullos tunc temporis lymphatico hoc parotidum tumore laborantes, eo evaneſcente vomitus ad aliquot dies afflixit. Sed brevi omnes convaluere.

Oëdematoſum hoc anginæ genus vario apud Italos nomine inſignitur. Etruſcis *Orecchiani*, *Bononienſibus*, & *Flaminiæ* populis *Gotoni*; Genuenſibus *Gotazze*.

CO.

COROLLARIA DE PROGNOSI ANGINÆ.

Abſoluta jam anginæ hiſtoria generali, ſimulque traditis illis, quæ in diverſis anginæ ſpeciebus maxime notanda videbantur, recenſentur quædam corollaria, quæ ad prognoſin anginæ proprie ſpectant, & omnia apud *Hippocratem* inveniuntur. Ex ante dictis autem facile deduci poterit horum ratio.

Angina ſine ullo ſigno conſpicuo: occupat enim tunc inflammatorius tumor laryngem, vel internam pulmonalis fiſtulæ membranam.

Angina epigeneſi orta. Morbus alter morbo ſupervenire dicitur, quam permanente illo, qui prior adfuerat, accedit & alter, uti *Galenus* a) monuit, dicens: *degenerat autem morbus, quam priore ceſſante ſuccedit alter; ſupervenit autem, quum priore permanente, alter accedit*. Unde talis epigeneſis prioris morbi augmentum deſignat, dum ad alias corporis partes propagatur malum; vel ſaltem indicat, per morbum ſic mutata fuiſſe fluida & ſolida corporis, ut etiam aliæ functiones lædantur. Cum ergo ex ſe ſatis periculoſa ſæpe ſit angina inflammatoria, patet facile, vix quid ſpei ſupereſſe, ſi alteri inflammatorio morbo ſuperveniat angina, Cum autem an-

anginæ curatio ſanguinis miſſionem validam, purgantia antiphlogiſtica &c. requirat; debilior ſæpe a morbo prægreſſo æger hæc ferre nequit. Augetur periculum, quod omnis ejusmodi ſupervenientium ortus non parvos nec faciles, ſed magnos & malignos morbos ſequatur. b)

a) Galenus de affectionibus c. 6.
b) — — Commentar. in aphor. 11.

Ubi autem angina inflammatoria, quæ musculos elevando occupat, vel pharyngem, aut tonſillas, uvulam, velum palatinum pendulum, ejusque quatuor muſculos pterygoſtaphylinos, ſic increverit, ut & ad pulmonalem fiſtulam, vel laryngem propagetur malum; ſatis patet lethalem morbum eſſe. Quin imo, licet per metaſtaſin materies inflammatoria tonſillas, pharyngem, &c. obſidens, priori ſede derelicta ad laryngem, vel aſperam arteriam deponeretur, non multum ſpei ſupereſſet.

Anginam ſpumam oræ excitans. Dictum fuit pituitæ ad cava tonſillarum ſtillicidium perpetuum eſſe, dum illæ ipſæ, vel & vicinæ his partes inflammatæ ſunt; unde & in

hac

hac anginæ specie perpetua sæpe exscreatio spumosæ pituitæ adest; tamen minus lethalis hæc angina esse solet, uti tunc dictum est; adeoque de illa spumosæ pituitæ excretione hic non agitur. Verum in pessimis & lethalibus anginis omnia vere eadem apparent phœnomena, ac illis, qui laqueo strangulantur; in quibus videmus fœdo spectaculo spumam tenacem circa os & labia colligi, tum moriuntur. Unde dixit *Hippocrates* a), *qui strangulantur, ac dissolvuntur, nondum tamen mortui sunt, ex illis non convalescunt, quibus circa os spuma fuerit.* Ubi notandum, quod non dixerit pituitam defluere, sed circa os colligi. Impeditur enim tunc transitus sanguinis per pulmones ex corde dextro in sinistrum; unde tanta vi urgentur arteriarum pulmonis extrema, ut ex illarum finibus in cava aërea pulmonis apertis exprimatur humor solito viscidior, qui in summis illis angustiis educi nequit exscreando, sed collectus ascendit in fauces, oris cavum replet, & tandem circa labia colligitur spumescens. Videmus simile quid fieri in moribundis fere semper, dum jam aliquot ante mortem horis ingratus ille stertor & ronchus in pectore auditur, a collecto tali viscido humore in pulmonis bronchiis;

chiis; qui pariter de naribus, vel ore post mortem, constrictis frigore omnibus partibus exprimi solet. Notat ergo talis spuma in angina suffocationem & mortem.

a) Hipp. in aph. 43.

Pessimum etiam signum dat serum tenue in angina inflammatoria continuo ex ore depluens. Dictum fuit a compressis venis majoribus, quæ hic locantur, & reducem a capite sanguinem ad cor deferunt, tale seri profluvium nasci posse, atque *Lovveri* experimento in cane, cui venas jugulares ligaverat, demonstratum fuit omnia vicina loca seri tenuis copia inundari. Ubi ergo hoc symptoma observatur, concludere licet, tumorem inflammatorium venas comprimere; unde pessima mala, brevi sequentur; uti pluribus dictum fuit.

Dejectionem autem alvi, quæ sine sensu exit, lethalem damnavit *Hippocrates*; uti dictum fuit: atque in primis in angina hoc verum est, cum præsentem strangulationem indicet hoc symptoma; atque observetur, & alvum & vesicam exonerari illis, qui laqueo suffocantur. In *Coacis prænotionibus* ha-

habetur sententia, quæ huc spectat: *Quibus per vehementiam pulsationis* (venarum) *stercus derepente per alvum secedit, lethale.* a) Voluit quidem *Fœsius* b) pulsationem illam vehementem & conspicuam observari in anginis inflammatoriis, dum in collo & temporibus validæ micant arteriæ, & partes inflammatæ palpitant præ pulsationis vehementia.

a) Coae. prænot. Nro. 368. Charter. Tom. VIII. p. 872.
b) Tom. I. p. 175.

In febre valde acuta sine ullo signo conspicuo occupans. Quam præceps sit angina inflammatoria, quæ absque ullo signo conspicuo, sola strangulatione se manifestat, antea vidimus; simulque demonstratum fuit, lethalem anginam esse, quæ per epigenesin ex aliis morbis inflammatoriis nascitur. Idem quoque verum est, si in febre valde acuta, quamvis non inflammatoria, similis angina oriatur; uti facile patet ex illis, quæ paulo ante dicta sunt. Confirmant & hoc sequentes *Hippocratis* Aphorismi a) *Si detento tumore non existente in faucibus, suffocatio derepente supervenerit, lethale. Si febre detento*

de-

derepente cervix intorqueatur, at vix deglutire possit, tumore non existente, lethale. Ubi notandum, quod æque damnaverit lethalem anginam, quæ deglutitionem lædit, ac illam quæ respirationem suffocat; si nempe acute febricitantibus repente superveniat.

a) Hippocrat. l. c.

Cum recessu tumoris, ruboris &c. Tunc enim angina deglutitionem lædens, adeoque minus periculosa, mutatur in illam, quæ respirationem suffocat; quæ in hoc casu semper lethalis est.

Aliæ dantur adhuc anginæ species, quæ in variis morbis accidunt, & ex idea morbi principis, cujus symptoma sunt, curari debent. Sunt autem hæc ferme anginæ symptomaticæ genera;

I. *Angina variolosa*; eaque triplex.

1. variolosa primi stadii
2. variolosa secundi & tertii stadii
3. variolosa a salivatione.

II. *Angina morbillosa* totius morbi subinflammatorius affectus est.

III. *Rheumatica*: materie rheumatica ad tonsillas deposita.

IV.

IV. *Scarlatinosa*: noscitur pustulis albis aphtosis, prurientibus: sæpe sola morbum facit.

V. *Venerea*:

1. venerea ulcerosa: observavit eam Stollius sæpe in infantibus a nutrice affectis.
2. venerea condylomatosa.
3. venerea nocturna.
4. venerea mercurialis.

VI. *Aphtosa*.

PLEURITIS HUMIDA.

Sedes Pleuritidis humidæ, & differentia a pleuritide sicca.

Frequens, imo frequentior vera pleuritide, is morbus est, quem auctores aliqui *anginam pectoris* nominant; nos autem *humidam pleuritidem* dicimus. Et sede, & symptomatibus distat a vera pleuritide: ut enim in vera pleuritide inflammatio pleuram occupat, neque ullo sputo cruento stipatur: ita humida pleuritis dolore assiduo, inflammatorio thoracis interiori, lancinante potissimum, tussi, atque inspiratione, exasperato, sputis croceis & cruentis, febre interim acuta continua, dignoscitur. Ex ne-

neglecta hujus morbi diagnosi lis inter clinicos orta est, de sede pleuritidis, de origine & via sputorum in pleuritide; quæ tamen facile componitur, si ipsas bronchiorum ramificationes inflammatas suppuratasque contemplamur. Causas cæteroquin agnoscit inflammationum communes, atque singulares insuper, quæ anginam trachealem, & peripneumoniam solent producere.

EXITUS VARII PLEURITIDIS HUMIDÆ.

Varius est morbi hujus progressus, ut & cura & prognosis mali non semper eadem sit; nam in sanitatem, mortem, morbosque alios terminatur.

Primo itaque resolutio inflammationis contingit, si levior causa morbum hoc ipso leviorem produxerit; si autem inflammationis resolutio locum non amplius habeat, signis coctionis prægressis variæ evacuationes criticæ oriuntur, morbum solventes. Optima crisis fit per sputa copiosa, quæ ex croceis, cruentis, in albida, puriformia mutantur; sudores plerumque una comitantur criticam sputorum excretionem, soli raro hunc morbum judicant; urinis etiam cum sedimento rubello pleu-

pleuris humida nonnunquam ſolvitur; rariſſime autem diarrhæa critica contingit.

Alius exitus pleuritidis humidæ eſt criſis erronea lymphæ coagulabilis; quæ ſi ſubito, & magna copia in cava aërea deponitur, ægrum ſæpe ſuffocat; ſi autem parcius, & ſenſim ſine ſenſu tranſſudat, pus æmulatur, atque morbum ſolvit.

Reliqui exitus in ſuppurationem, & gangrænam ex generali inflammationis, & præcipue anginæ inflammatoriæ doctrina facile poſſunt deduci.

METHODUS MEDENDI.

Omnis humidæ pleuritidis cura methodo antiphlogiſtica abſolvitur. Princeps remedium in venæ ſectione, eaque etiam repetita, habetur. Dein potus tepidi ex herbis emollientibus aſſiduo hauſti, quibus paucum nitri additur. Maxime autem vapores tepidi aquæ communis, aut decocti emollientis ád vim morbi infringendam conducunt; quo pulmonum balneo & vaſa aërea laxantur, & materia phlogiſtica attenuatur, & ad exſcretionem præparatur.

Cum facillimus ſit inflammationis ob partium contiguitatem ex ramificationibus bronchiorum, in ipſam pulmonum ſubſtantiam, omnino patet, cur ſæpiſſime & bronchiorum, & pulmonum inflammatio ſimul adſit. Quod *pleuritidis humidæ* & peripneumoniæ connubium ideam *pleuroperipneumoniæ* conſtituit. Quo vocabulo primo *Baronius*, teſte *Trillero* a), utebatur.

a) Triller de pleuritide.

PERIPNEUMONIA.

Duplici imprimis modo definitio morbi tradi ſolet; vel enim ex illis phænomenis, quæ ſemper morbum definiendum comitantur colligitur; vel ex intellecta cauſa morbi proxima deducitur. Prioris definiendi methodi exemplum in phrenitide vidimus, dum illa dicebatur adeſſe, quando ferox & perpetuum delirium cum febre acuta continua oriebatur; ſimili modo etiam poſtea definietur pleuritis. Altera definitionis methodus ſupponit illud, quod per omnia morbi phœnomena collecta tantum patet, neque cognitionem accuratam cauſæ morbi proxime; atque talis eſt cogni-

tio.

tio peripneumoniæ, quæ hic traditur. Prior definiendi methodus inservit, ut morbus, cujus indagatur natura, distinguatur per signa pathognomica ob omni alio morbo, adeoque omnis vitetur confusio. Posterior autem morbi naturam individuam jam cognitam supponit, paucisque verbis illam describit. Binis illis methodis promiscue usus est *Boerhaavius*, sic tamen, ut dum priorem methodum adhiberet, postea ex tradita morbi historia deduceret ejus causam proximam; ubi vero posteriori methodo definiendi morbi usus fuerit, tunc datæ definitionis veritatem probat postea ex omnibus illis, quæ in morbi decursu observata fuerunt. Sic v. g. postquam phrenitidem ex phœnomenis hunc morbum semper comitantibus definiverat, postea ex morbi decursu toto, & observatis in cadaveribus defunctorum hoc morbo, elicit causam proximam phrenitidis, quod nempe sit vera inflammatio cerebri, atque idem etiam in pleuritid simili modo definitæ historia fecit. In peripneumonia vero, cujus causam proximam in definitione supposuerat, postea tanquam corrolarium ex tota morbi historia deduxit, morbum illum, quem vetustas hoc nomine descripsit, esse veram inflammationem pulmonum,

DI.

DIVISIO PERIPNEUMONIÆ.

Peripneumonia itaque in *vera* pulmonum, vel alicujus illius partis inflammatione consistit; nam & spuriæ dantur peripneumoniæ, a colluvie serosa, ab infarctu pituitoso, a decubitu materiæ biliosæ ad pulmones &c. de quibus suis locis sermo erit.

Priusquam peripneumoniæ genuinæ characteres describam, aliquas adhuc morbi divisiones adferre juvat, quarum scientia medicum aut in diagnosi, aut in prognosi statuenda, aut in intelligendis aliorum auctorum libris potest dirigere. Præter illam itaque, quam modo attuli, divisionem in veram & spuriam, alia habetur divisio; a febre peripneumoniam comitante, desumpta; ut ergo *acuta* & *chronica* seu latens sit peripneumonia; quarum prima apud omnes ferme auctores fuse descripta legitur, altera vero *Baglivii* potissimum & *Stollii* observationibus in plenam lucem protracta est. Acuta pro varia febris sociæ natura varia sortitur nomina, ut alia sit *inflammatoria*, alia *biliosa*, alia *pituitosa*, atque etiam *putrida*, & *maligna* peripneumonia. Aliam divisionem inflammationis magnitudo suppeditat, ut simplex sit, si

unius

unius lateris, & duplicata peripneumonia, si uterque pulmo inflammatur. Ratione etiam tussis, quæ vel sicca, vel humida est, humida vel sicca peripneumonia adesse dicitur. Exitum quoque, morbum varium si consideramus, suppuratoriam & gangrænosam peripneumoniam habemus. *Originaria* denique, & *symptomatica*, *deuteropathica*, & *protopathica*, prout nempe pulmo primario & mox in initio oritur, aut secundario, & in alterius morbi progressum accedit.

SIGNA PERIPNEUMONIÆ.

Signa nunc peripneumoniæ veræ describenda sunt; quorum duplex genus est: signa inflammatoriæ febris *communia*, atque signa thoracis inflammati *propria*. Prioribus ex doctrina de inflammatione notis, *propria signa* persequor. Est autem summa necessitas probe dignoscendi pulmonum inflammationem, utpote sæpe *obscuram*, hinc *neglectam*, hinc *perniciosam*; sæpius *symptomaticam*, *sero* & *subdole* supervenientem.

1. Primum atque præcipuum signum est *assiduus* ponderis in thorace sensus. Ob nervos enim in pulmonibus minus copiosos, &

ob visceris laxam compagem, de oppressione, non autem de doloribus ægri conqueruntur; ut hoc morbi genus plus periculi, quam doloris habeat. At habet hoc signum suas fallacias; imo subinde a medico resciri haud potest. Nam & pituitosus infarctus, & instans exanthematum eruptio peripneumonicam oppressionem non raro præseferunt; *Sydenhamus a)* quondam in febre continua talem oppressionem offenderat, quam pro peripneumonica habuit; at facta mox copiosa petechiarum erruptione respirationis libertas rediit. Hypochondriacorum etiam, atque hystericarum genus irritabile, mox ubi in febrim incidunt, pectoris oppressionem accusant, etsi alte inspirent, & in longis quærelis nullum loquendi impedimentum sentiant: Mente capti, aut, instante delirio grave id in thorace impedimentum non sentiunt. Ii quoque, qui rerum suarum incurii vivunt, pectoris oppressionem non accusant.

a) Sydenh. Opera p. 153.

2. Alta inspiratio aut difficillima, aut omnino impossibilis, tussi mox accedente interrupta. Quamprimum enim alte inspirant

ægri,

ægri, augetur oppreſſio; idque etiam a tuſſi accedit. Hæc reſpirationis difficultas magni momenti ſignum eſt, atque etiam ad abſconditas pulmonis inflammationes detegendas maxime idoneum. Summam attentionem in obſervanda ægri inſpiratione medicus adhibeat: nempe an thorax ſub inſpiratione æque alte, atque eadem ex binis lateribus celeritate ſurſum tollatur. Phlogiſticum enim in parte quadam pulmonis impedimentum id efficit, ut ibi pulmo ſe expandi ab aëre irruente non ſinat, atque thorax in ea regione minus alte, & ſerius elevetur. Imo præſente valida utriusque pulmonis inflammatione immotus manet thorax, aut etiam intro trahitur, reſpiratione interim ſolo abdomine peracta. Hoc ſigno ad detegendas abſconditas etiam, infantum præcipue, peripneumonias, feliciſſimo ſemper eventu utebatur *Stollius*.

3. Tuſſis denique inſpirationem profundiorem prohibet, eaque varia eſt; modo ſicca, quæ peſſima; modo aquoſa, aut etiam ſputa ſanguine ſtriata educens. Hoc certum eſt, ab ea tuſſi pectoris oppreſſionem plurimum augeri. Irritamentum tuſſis ægri *Plerumque* in plaga pulmonis obſtructa ſentiunt.

Pathognomonicis morbi hujus ſignis deſcriptis, alia etiam ſymptomata accedere ſolent, quæ equidem perpetua non ſunt, ac tamen hoc ipſo ſuo conſortio ſtatutam a medico diagnoſin non parum firmant. Sunt autem ſequentia:

Absque multis prodromis plerumque ingruit hic morbus, niſi ex coryza aut catarrho neglectis, atque a remediorum ſpirituoſorum ſtimulo exaſperatis originem duxit. Orditur a frigore, cui mox calor ſubſequitur, cum frigore iterum alternans. Brevi & oppreſſio aſſidua, & inſpirationis profundioris impedimentum, & tuſſis pulmonem inflammatum eſſe ſignificant.

Dolor, aut gravitas capitis inter tuſſiendum aucta. Labiorum, linguæ, & palati ſiccitas. Lingua albida pellicula obducta. Sapor oris depravatus; ſubinde vomituritio, atque etiam vomitus. In infantibus, atque irritabilibus non raro convulſio.

Spiratio calida. Decubitus in alterutrum latus impoſſibilis; plerumque in latus affectum facillius decumbunt; pulmone utroque inflammato ſitus ægrorum ſupinus.

Alvus tarda; urina parca, flammea.

Pul-

Pulſus initiante, aut leviori adhuc morbo celer, plenus, fortis, durus, vibrans; morbo magis provecto, parvus, mollis, omni modo irregularis. Cutis ſicca.

CAUSÆ PERIPNEUMONIÆ.

Etſi generales inflammationum cauſæ etiam peripneumoniam excitare valeant, ſunt tamen quædam peculiares cauſæ, quæ præ cæteris frequentius hunc morbum excitant.

Has inter ipſa atmoſphæra primum locum obtinet, cujus viciſſitudines epidemicam humanis corporibus labem inducunt. Hinc epidemicus hic morbus ruri potiſſimum, mala medendi methodo integris ſæpe provinciis pernicioſus. Morbus eſt adultæ hyemis, ſiccæ, borealis, maxime ubi homo antea incaluit, & dein frigidam aquam, frigidum aërem haurit. Sæpe tam late patet Epidemiæ imperium, ut medica & indocta plebs contagioſum eſſe peripneumoniæ epidemiæ genium crediderit a). Atque etiam ipſe *Hippocrates* monuit hyeme pleuritides & peripneumonias maxime fieri, & quidem vehementiſſimas. b)

a) Morgagni de Sed. & caus. morb. epiſtol. 21. artic. 26.

b) Hippocr. de affectionibus. c, 3.

At non modo ob manifestas, aut etiam occultas qualitates atmosphæra ferax peripneumoniæ scaturigo est; sed ob magnam insuper copiam varii generis exhalationum, quæ in aëris oceano fluctuant, & a pulmonibus attractæ acore suo vitale hoc viscus inflammant. Sic vapores arsenici, acidorum mineralium, sulphuris accensi, musti fermentantis. Dum arsenicum caustica & venenata vi infame fixare tentabat *Tachenius* a) sciendi desiderio quævis spernens pericula, apertis vasis inspiravit auram suavissimam, sed post semihorulam imprudentiæ suæ pœnas luebat; dum & difficulter respirabat, omnium membrorum convulsiones patiebatur, sanguinem mingebat cum intolerabili ardore &c. Lacte & oleo præceps hoc periculum evasit quidem, sic tamen, ut tota hyeme langueret, febre lenta, hecticæ simili afflictus. Meminit *Swietenius* b), dum ex sale marino decrepitato siccissimo spiritum salis marinum meracissimum paraverat, solutis vasis tanto cum impetu fugacissimos vapores erupisse, licet paucæ tantum unciæ hujus spiritus in capacissimo excipulo hærent, ut non tantum laboratorium, sed & tota fere domus ilico his vaporibus replerentur, cum imminentis suffocationis peri-

riculo, nisi subito aufugisset. Omnibus notum est sulphuris accensi vaporem, & homines, & quævis animalia respirantia, necare certissime, si majore copia cum aëre hauriatur. Adeo enim sensibilis est interna pulmonum superficies, ut ab acrioribus talibus una cum aëre haustis ilico corrugetur totus pulmo, spasmodice constrictis fibris musculosis bronchiorum segmenta cartilaginea nectentibus; unde subito lethalis peripneumonia; vel si evaserint, incurabile asthma tota vita manet. Vidit hoc *Swietenius* in cive, cui in juventute apud oenopolam habitanti, ut addisceret vinorum commercium, a sodalibus jubebatur, ut aperto ingentis dolii, sulphuris odore repleti, spiraculo olfaceret, qua arte vina a fermentatione præservarentur. Miser ille valide naribus attrahit infestum hunc vaporem, sed mox concidit, atque aliquot horis cum morte luctatus evasit quidem, verum tota vita mansit asthmaticus, & nunquam somnum capere potuit, nisi erecto corpore in sedili hæreret. Verum & una cum aëre inspirato in pulmonem duci possunt talia, quæ non acria quidem sunt, sed coagulante & exsiccante vi pessime nocere possunt, quamvis plerumque non tam subito horum noxa ob-

obſervetur. Sic *Diemerbroeckius* c) in noſocomio diſſecuit lapicidæ famulum aſthmate mortuum, atque in ejus pulmone invenit magnam copiam pulveris lapidum, veſiculas fere omnes pulmonis implentem, atque ſequente anno in binis lapicidis ſimili modo mortuis idem invenit. Ex quibus omnibus ſatis patet una cum aëre inſpirari poſſe talia, a quibus peripneumonia naſci poterit.

a) Tachenius hippocrat. chemica. c. 24. p. 149.
b) v. Swieten. Comment. ad §. 824.
c) Diemerbroeck. anatom. L. II. p. 306.

2. Ad cauſſas etiam pertinent exercitia pulmonum valida; maxime autem ſi ſubito perfrigerentur homines admiſſo aëre frigido, vel potu frigidæ: e. g. poſt ſaltum id facit juventus imprudens. Tales peripneumoniæ a potu frigidæ æſtuante corpore ſubito lethales fiunt; ſubinde penes ipſum fontem tales concidunt mortui ex peripneumonia ſuffocati.

3. Angina Cynanche & trachealis ab initio neglecta, aut perverſa methodo facile in peripneumoniam abit, materie phlogiſtica ſenſim ad pulmones depoſita. Idem a neglecta coryza, optime monente *Tiſſoto* a), ſæpe contin-

tingit. Pleuritis etiam valida, cum ægri ob ſummam doloris acerbitatem pectus dilatare nequeunt, atque ſanguis in pulmone accumulatur, peripneumoniam producit.

a) Tiſſot avis au peuple.

4. Vicinarum partium inflammatio, Præcipue hepatis. Regnante enim præcipue inflammatoria conſtitutione, & præſente in ſanguine inflammatoria diatheſi variæ ſucceſive partes inflammatione occupantur.

5. Huc etiam pertinet materia quæcunque acris rheumatica, arthritica, herpetica ad pulmones depoſita. Morbilloſum præcipue miasma, quod pulmonibus maxime inimicum eſt.

6. Peculiaris inſuper, atque hæreditaria diſpoſitio inter cauſas peripneumoniæ recenſenda eſt; ubi ſequentia notanda ſunt. 1. Obeſos homines plerumque ad thoracis inflammatorios morbos minus diſpoſitos eſſe. a) 2. Infantes, etſi in phlogiſticas affectiones præ cæteris hominibus minus proclives ſint, ſæpius tamen exquiſita peripneumonia corripiuntur. 3. Obſtructum lien plurimum diſponere ad pulmonum inflammationem *Morgagni* b) aſ-

ſe-

ferit: 4. Pulmo tuberculofus, & illa phtyfica difpofitio, de qua in Tomo I. horum commentariorum pag. 123. actum eft.

a) Morgagni de fedibus & caufis morborum. P. I. p. 392.
b) — — P. I. p. 409.

7.) Magna denique in peripneumoniam proclivitas a peripneumoniis prægreffis inducitur, ita ut fæpiffime ab inflammatoriis thoracis morbis idem homo coripiatur.

EFFECTUS PERIPNEUMONIÆ.

Multæ, eæque graves mutationes ab hoc morbo in corpore producuntur; præcipuas enumerabo:

1. Si major portio pulmonis alterutrius, vel utriusque fit inflammata, fanguis per refiduum pulmonem liberum difficulter movetur. Liquidiora exprimuntur in vicina cava; hinc *hydrothorax* cum peripneumonia toties reperitur, *remanens* fubinde.

2. Pulmo inflammatus fit *mole, pondere* major; in aqua fundum petit; livet, fæpius tamen rubet; carnem mufcularem refert; fub

cul-

cultro ſtridet; in bronchiis ſpuma cruenta. Pulchra *Frid. Hoffmanni* a) obſervatio ad amuſſim oſtendit, qua via hic morbus in mortem tendat. " Dum aperitur cadaver juvenis viginti ſex annorum peripneumonia defuncti ſeptimo morbi die, pulmones conſpiciebantur admodum diſtenti, & ad tactum duri. Omnem corporis cavitatem replebant, diaphragmati, coſtis, & dorſi vertebris iu utroque latere adeo firmiter accreti, ut cultro difficillime ſeparari potuerint. Exempti de thorace pulmones carnem compactam referebant, eorumque veſiculæ quaſi carnea, craſſa, rubicunda ſubſtantia erant infarcta: & quum diſcinderentur, pauca quantitas ichoris putridi ſanguinei effluxit. Quinque libras pondere æquabant pulmones lanci impoſitæ, & aquæ ſubmergebantur. In aſpera arteria ſpumoſa & tenax materia reperta. In vaſis pulmonis, uti & corde, & auriculis, inventæ fuerunt polypoſæ concretiones, quæ ſimul omnes excedebant pondere binas uncias, "

a) Frid. Hoffmann. Medic. ration. & ſyſtem. T. IV. S. II. c. 6. obſ. 1.

3. Sanguis tranare non poteſt per reſiduam partem pulmonis. Hinc paucus pervenit ad cor ſiniſtrum, ad aortam, ad reliquum corpus; hinc pulſus debiles, mollesque in graviſſima peripneumonia, atque lis de pulſu duro aut molli in peripneumonia facile componi poterit. Hinc pulſus vacillans, inæqualis omni modo.

4. Reſpiratio ſano pulmone peragitur; tunc autem inæqualiter thorax attollitur. Hinc cita & accelerata inſpiratio. Hinc reſpiratio laborioſa ſimul tunc adeſt, Orthopnœa dicta veteribus medicis, quando ægri proprio inſtinctu corpus in lecto erigunt, ut facilius inſpirare poſſint. Erecto enim corporis ſitu abdominalia viſcera ſuo pondere deorſum ducunt diaphragma, ſicque pectoris dilatationem augent. Notavit hoc *Aretæus* a) monens, *quod ſedere volunt laborantes; ad ſpiritum ducendum corpus rectum ſtatuitur, ad id enim hic ſitus aptiſſimus eſt.* Deſignat ergo erecta illa reſpiratio ſemper impedimentum in pulmone liberum ſanguinis tranſitum tollens; atque inde patet ratio, quare *Hippocrates* b) dixerit. " Quod ſi in morbi vigore ægrotus velit reſidere, hoc in omnibus quidem acutis morbis malum eſt, peſſimum vero

eſt

est in peripneumonicis. " Ubi enim morbi decrescunt, minime malum signum est, si in lecto residere velint ægri; tunc enim increscentibus viribus, & fatiscente morbo, jugem decubitum fastidiunt. Verum in morbi vigore semper molestam anxietatem, ob difficilem sanguinis per pulmonem transitum significant. Inspiratio tussi prohibita. Exspiratio calidissima.

a) Aretæus de causis & signis morborum §. I. c. I.
b) Hippoc. in prognosticis.

5. Symptomata capitis plura, scilicet rubor & livor faciei, oculorum, stupor; sapor. apoplexia; summa anxietas, & mors. Ob impeditum sanguinis ex capite reditum.

PROGNOSIS PERIPNEUMONIÆ.

Faustum in hoc morbo eventum his tantum circumstantiis exspectare licet:

1) Si inflammatio unius tantum lateris sit, Pulmone enim utroque valide inflammato sanguini per pulmones tranaturo omnis via intercipitur; ægrique ex magnitudine inflammationis pereunt, Imo

Imo unius, at totius pulmonis inflammatio, vix ſanatur. Multum itaque ad formandam prognoſin intereſt noſſe inflammationis magnitudinem, an uterque pulmo, an unus tantum, isque totus, vel aliqua ejus pars, & quænam illius plaga inflammatione laboret, quæ omnia ex gravitatis ſenſu, ſymptomatum vehementia, maxime vero ex thorace inæqualiter, & uno thoracis latere præ altero citius elevato, dijudicari debent; ubi enim ulterior thoracis elevatio impeditur, ibi inflammatio figitur; thorace unius lateris ferme immoto magnam in alterutro pulmone inflammationem adeſſe recte conjicies; at utroque pulmone inflammato, uterque thorax immotus, & reſpiratio abdominalis.

2.) Si unius lateris pulmo, atque ejus *parca* tantum portio inflammata ſit. Non enim ſanationem morbi ſperabat *Stollius*, ſi ultra duas tertias pulmonis partes inflammatas eſſe ex reſpiratione colligeret.

3.) Si a cauſa mitiori morbus originem duxerit. Si enim e. g. homo a perfrige-

ra-

rato corpore poſt validiſſimum corporis exercitium peripneumonia corripitur, juſtus metus eſt, ne maxima inflammatio adſit.

EXITUS PERIPNEUMONIÆ IN SANITATEM.

L y ſ i s.

Ut omnis morbus, ita etiam peripneumonicus in ſanitatem, morbos alios, & mortem terminatur. In ſanitatem autem peripneumenia finitur aut *Lyſi*, cum phlogiſtica materies ſolis naturæ viribus mobilis reddita ſenſim ſine ſenſu ſanis humoribus aſſimulata a corpore difflatur; aut non penitus ſubacta manifeſtis evacuationibus *criticis* e corpore eliminatur.

Prior exitus, etſi maxime optandus, rarior tamen contingit. Illa autem reſolutio tunc potiſſimum ſperari poterit, ſi in corpore *laxo* peripneumonia oriatur. Hinc *Hippocrates* monuit, quod denſa & exercitata corpora citius a pleuriticis & peripneumonicis morbis pereant, quam non exercitata; hinc fœminarum peripneumoniæ eſſent, cæteris paribus, leviores. *Humoribus bonis.* Hinc ruſti-

ſticorum, potui non deditorum, & ruri, peripneumoniæ leviores. In urbe gravior & pertinacior morbus; item ſi acria varia humoribus miſta, achores, ſcabies, herpes, miasma ſyphiliticum &c. Item ſi tubercula pulmonum, ſcrophulæ, arthriticum vitium adſit.

Criſis.

Alter modus, quo morbus in ſanitatem terminatur, eſt, quando materies morbi per vim febris ſubacta quidem, & mobilis reddita eſt, nondum tamen ſimul ſic mutata, ut absque impedimento æquabilis circulationis cum humoribus ſanis per vaſa fluere poſſit, neque etiam adeo diſſoluta, ut inſenſibilis perſpirati ſpecie expelli queat de corpore. Requiritur ergo ad ſanitatis reſtitutionem, ut ſenſibili quadam evacuatione exeat. Idem in peripneumoniæ felici in ſanitatem exitu contingit; & longe frequentius ille morbus hoc modo tollitur, quam benigna reſolutione. Videndum ergo eſt ex fideliſſimis, veterum imprimis medicorum, obſervatis, per quas vias natura moliatur materiæ morboſæ exitum in hoc morbo.

Sputa critica

Si itaque prægreſſis coctionis ſignis, atque diebus, quos antiquitas *criticos* dixit, materia per ſputa ejicitur, ea *critica* eſſe conjicies, ſi ſequentibus dotibus inſignita ſint.

Sputum cito compareat, id eſt, inflammatione nondum in ſuppurationem vergente. Sit liberum, facile & absque multa moleſtia per tuſſim educatur, cum valida & ſicca tusſis pulmonem inflammatum irritet peſſime, ſimulque deſignet, nec præſto eſſe materiem per ſputa, & pulmonem in vaſis ſanguineis inflammatum & tumentem arctare & comprimere bronchia. Unde *Hippocrates* a): *ſputum vero in omnibus doloribus, qui circa pulmonem & latera ſunt, celeriter ac facile exſpui oportet. Si enim multo poſt doloris initium exſpuatur flavum, aut fulvum, aut quod multam tuſſim excitet, deterius eſt: Et paulo poſt habet ſequentia* b): *Sputum vero flavum mixtum cum pauca ſanguine in peripneumonicis, in initio morbi excretum ſalutare eſt, & valde confert; ſi vero ſeptimo die, vel etiam ſerius procedat, ſecuritatis minus eſt.*

a) Hippocrates. Prognoſt.
b) — — Coac Prænot.

Co-

Copiosum autem debet esse, ut omnis morbi materies evacuetur integre, aliter enim irritum naturæ conamen indicat, quod in omnibus vacuationibus materiæ morbosæ pro malo omine habetur.

Sputum *coctum* fit, nempe subflavum, subinde filamentis sanguineis permistum, muco, quod in coryza cocta e naribus ducimus, non absimile. Hinc *Celsus* a): *Neque inter initia terreri convenit, si protinus sputum mistum est rufo quodam sanguine, dummodò statim sedetur.* Crassities autem sputi, & color flavus inceptam jam coctionem materiæ morbosæ indicant. Differunt autem *cocta* hæc sputa, aut *puriformia* a *purulentis*: *Illa* enim sine solutione continui; *hæc* autem non nisi cum solutione continui oriuntur.

a) Celsus L. II. c. 8.

Talia autem supta, cum & satis crassa sint, neque tamen nimia viscositate firmiter adhæreant, facile semper educuntur, tenuia autem & ichorosa sputa longe difficilius. Qui catarrho pulmonum laborant omnes hoc experiuntur: in initio enim morbi sputa tenuia non nisi molestissime educuntur; postea vero eadem crassiora facta facillime prodeunt.

Op-

Optima autem bonorum ſputorum nota ex morbi emendatione colligitur. Si enim & gravitatis ſenſus, & inſpirationis impedimentum, & febris ipſa mox a ſputis minuantur, pulſusque magis fiant evoluti, pulmonum integritas reditura eſt. Hinc *Hippocrates*: a) *omnia ſputa mala ſunt, quæ dolorem* (morbum) *non levant.* Videtur enim ſic indicare voluiſſe, ſputorum colorem varium, ſpiſſitudinem &c. multum quidem ad prognoſim facere; interim tamen ſymptomatum morbique levamen ſputorum excretionem ſequens, omnium certiſſimum ſignum dare, licet etiam ſputa a modo laudatis conditionibus recederent. Meminit *van Swieten* ſe aliquoties vidiſſe in ipſo hujus morbi initio ſputa mucoſa, tenacia, ſanguine æquabiliter per totam ſubſtantiam tincta, inſigne levamen attuliſſe non tantum, ſed & brevi ſanationem ſecutam fuiſſe.

a) Hipppocrat. Prognoſt.

Explicatis iis notis, quæ ſputorum ſalubritatem ſignificant, facile illa ſputa cognoſcuntur, quæ infauſti eventus metum nobis injiciunt. Malæ notæ itaque ſputa ſunt, quæ mox in initio morbi ſanguinea ſunt. Ex-

ſcreatio tenuis, flava, croco quaſi tincta, aliud febrium peripneumonicarum malum eſt ſymptoma, cum vel lentorem pulmonum inflammatorium viſceri tenaciter inhærere, vel totam ſanguinis maſſam a diſſolutione proxime abeſſe ſignificet.

Omnis vero multo pejoris, ajit *Huxhamus* a), hoc tenui, eſt livida iſta, glutinoſa, & ſaniei ſimilis, frequenter rubri vini fæcibus æqualis, interdum nigrior, & interdum valde fœtens exſcreatio; hæc enim vel a pulmonum ſtatu gangrænoſo, vel ſanguinis craſis per majorem acrimoniam deſtructione pendet, qui caſus ſæpe in hominibus ſcorbuto graviter affectis obvenit: cujus rei plura haud ita pridem inter nautas poſt longos curſus exploratorios & expeditiones in India occidentali occurebant exempla.

a) Huxham Op. T. II. p. 190.

Cum videant medici, peripneumoniam ſputo ſeu anacatharſi ſolvi, hanc voluerunt *peculiaribus remediis*, expectorantibus dictis, promovere.

Sunt autem expectorantia, quæ humores aliquantum incitant, movent, movendo attenuant,

nuant, & dein follicitando fauces gutturve tuffim excitant. Talia funt melita, oxymellita, infufa fubamara, leniter aromatica veronicæ, majoranæ, hyffopi &c. fquillitica, oxymel fquilliticum, acetum fquilliticum, gummi ammoniacum aceto, vitello ovi folutum. Flores fulphuris; antimonii præparata, fubemetica, fcilicet kermes, ftibium diaphoreticum non ablutum; fulphur auratum tertiæ præcipitationis. Tartarus emeticus refracta dofi; ipecacuanha in pulvere, infufo, parca tamen dofi. Verum hæc male conveniunt cum inflammatione; hanc enim augent. Optimum expectorans eft methodus antiphlogiftica emolliens, vapor aquæ tepidæ infpiratus &c. Sputa cocta viribus naturæ fola bona. Hinc errores pernicioli multorum practicorum; quæ enim in *frigido* pulmonum infarctu, in colluvie ferofa fola bona funt, hæc ad calidiffimum morbum male traduxerunt.

Videntur autem fputa confiftere *ex materie inflammatoria*, feu ex lympha coagulabili, fed *aliquantum immutata*; non enim amplius illa cohœfio, aut coagulum in fputis, uti in lympha coagulabili.

DIARRHOEA CRITICA.

Sæpius contingit, ut materia phlogiſtica ex ſanguine ad alia corporis colatoria derivetur, per urinas nempe & alvum. Materies autem, quæ alvo ſecedit, ſputis haud abſimilis eſt. Interim levamen morbi certiſſimum ſalutaris hujus evacuationis ſignum dat: *Si enim qualia purgari oportet, purgentur, & confert, & facile ferunt; ſin minus, contra.* a) Quod *Hippocrates* ſummo jure pro generali ſpontanearum talium evacuationum criterio poſuit. Bilioſum autem vocat talem alvi fluxum *Boerhaavius*, non quod bilis proprie dictæ evacuatio in hoc caſu requiratur, ſed quod flavi coloris materies per alvum exeat, uti per ſputa flava in priori caſu morbi materies eliminabatur.

a) Hippocrat. aphor. Sect. I. aphor. 2.

URINA CRITICA.

Urinæ indicant futuram criſin potius, quam ut illam abſolvant. Urinæ criticæ conditionem *Huxhamus* a) præclare expoſuit: „ Quod ſi autem inflammatoriæ pulmonum obſtructionis reſolutio aut coctio accidit, non pars ſolum in bronchiorum cava impellitur, & ita exſcreatur, ſed pars quoque in venas adhæren-

rentes transit, indeque cum reliquo sanguine ope communis circuitus commovetur, donec tandem partim per urinam crassam, turbidam larga quantitate eliminetur; in qua id, quod desidit, copiosum rubrum, vel flavum est, & in morbis peripneumonicis semper bona prænuntiat, partim quoque per biliosas alvi dejectiones evacuetur. — Quam crassam, subsidentem, rubicundam urinam in pleuritide securum esse signum b), eamque, si crassa & copiosa sit, auferre peripneumonias, observavit *Hippocrates*. Ast recte quoque annotat, si ista ex crassa circa quartum diem tenuis fit, symptoma esse pessimum. c) Atque profecto ita omni morbi tempore est quamdiu febris insignis continuat.

a) Huxham Op. T. II. p. 195.
Hipp. de victu acutorum.
c) Ibidem.
Hipp. coacæ prænot. 53. c. de pleuritide.

Omnia hæc signa collegit *Hippocrates* a): „ Sunt autem hæc bona, morbum ipsum facile ferre, & facile spirare, dolorem sedatum esse facile sputum extussire, corpus æqualiter molle & calidum apparere; urinas, dejectiones, somnos, & sudores, uti scriptum

est,

eſt, ſingula bona ſuccedere. Hæc omnia ſi contigerint, non morietur homo. "

a) Hippocrates in Prognoſticis.

EXITUS PERIPNEUMONIÆ IN ALIOS MORBOS.

Suppuratio.

Si morbus peripneumonicus ita gravis eſt, ut benigna reſolutio locum non habeat; atque mitius etiam malum neglecta medicina, imo perverſa methodo, in pejus ruat, varia accidit morbi mutatio, quæ aut *inflammationi*, aut *pulmonis functioni* convenit.

Exit itaque primo in *ſuppurationem*, lege communi omnium aliarum paulo majorum inflammationum. Ut autem hunc peripneumoniæ exitum eo melius perſpiciamus, primo argumenta probabilia orituræ ſuppurationis, dein ſigna proxime inſtantis, tandem ſigna facti abſceſſus, & effectus denique ſuppurationis tum in univerſo corpore, tum præcipue in pulmonibus accuratius conſideremus.

Signa abſceſſus futuri.

Peripneumonia non nimis valida neque benigne reſoluta, neque evacuationibus criticis judicata, medicamentis nullis, aut perve-

verſa methodo adhibitis, metus omnino eſt, medium hunc inter morbum inſanabilem, & illum, qui cito ſolvi poteſt, ſtatum ſubſequi. At omnis quæſtio eſt de tempore, quo ſuppuratio fieri inciperet, quinam ſit terminus crudæ inflammationis? Statuerunt quartum diem, quo finito vena male ſecaretur, utpote morbo, ut putabant, non amplius reſolubili. At male omnino: quotidiana enim experientia reclamat. Major tamen inflammatio, cauſis inflammantibus non ablatis ex toto, neglecta per quatuor dies, probabiliſſime ſuppurabit. Item peripneumonia quarta die labente adhuc crudiſſima, ſine ſignis coctionis probabiliſſime ſuppurabit. Attamen idcirco non deſiſtendum a venæ ſectione; nam parcior, & minori in ambitu fiet ſuppuratio. Dantur peripneumoniæ *cito* ſuppurantes; dantur, quæ *ſero* ſuppurant, ſcilicet *mitiores*, *retuſæ* methodo antiphlogiſtica, item peripneumoniæ *ſecundariæ*, nempe ortæ ab alio ſtimulo, *varioloſo, rheumatico, arthritico.* Habemus etiam exempla harum inflammationum in partibus externis per ſeptimanas & menſes. Præterea inflammationes ab aëri ſtimulo perfectæ, atque etiam rheumaticæ, nullis certis legibus definiuntur, ſed citius, aut ſerius in ſuppuratione

nem abeunt. Hinc nullus certus terminus venæ fectionis in peripneumoniis certo numero dierum definiendus; tamen die 14. eft plerumque facta fuppuratio.

Signa abfceffus fientis.

Inflammatione magna, coctione non obfervata, crifi non facta, nec benigna folutione; remediis fero, aut fruftra applicatis; in prædifpofitis ad phthyfin; febre perftante non validiffima, at tamen conftante, pulfu undofo, molli, accelerato, fit *fuppuratio.*

Signa abfceffus facti.

Sequuntur nunc figna, quæ factam effe puris collectionem fignificant. Sunt autem hæc potiffimum; quæ tamen non acervatim ingruunt, fed paulatim apparent, & tum fientis, tum facti jam abfceffus, communes notæ funt.

Primo itaque febricula medicum de collecto pure admonet. Incipit autem hæc febricula vagis, levibusque horripilationibus absque manifefta caufa; plerumque continua eft, fæpe tamen cum exacerbationibus vefpertinis; fubinde cum intermittente tertiana aut quartana combinatur, conftitutione præfertim febrium intermittentium regnante. Symptomata vero affecti pulmonis ita fe habent: Cum

jam

jam vomica in pulmone hæreat, pure plena, mole sua vicina omnia comprimens, adeoque & efficiens, ut vesicularum pulmonalium latera ad se mutuuo pressa irritentur continuo; hinc tussis pertinax oritur, sed sicca, quia nihil de loco affecto educi potest, quamdiu nondum ruptus est abscessus. Licet enim per hanc tussim continuam aliquid muci, pulmomonis internam superficiem lubricantis, abradatur sæpius, nihilominus tamen sicca vocari meretur, quia parca copia, & cum molestia sputa prodeunt, nihilque de pure pulmonem opprimente educitur hactenus. Cum autem post pastum crudus chylus per pulmonem difficilius transeat, etiam in sanis hominibus, si copiosior fuerit, vel ex indigestibili alimento paratus, levem dispnœam & febriculam faciens, patet facile inde augeri causam unde tussis illa oriebatur. Illud verum est, dum corporis exercitiis sanguis venosus accelerato motu versus cor dextrum derivatur, adeoque & majori celeritate per pulmonis vasa, vomica latentis mole arctata, transprimitur. Imprimis autem tussis illa augetur, dum febricula illa continua periodica exacerbatur. Respiratio autem difficilis, parva, anhelosa, & strepens erit, dum saccus talis pure plenus

nus anguſtat cavum aëreum pulmonis, ejusque facilem dilatationem ab aëre inſpirato impedit. Cum inflammatio utrumque pulmonem occupat, cito potius, & inſuperabilis mors exſpectanda eſt, quam exitus in ſuppurationem; unde fere ſemper abſceſſus in uno tandem loco hæret. Si ergo notabilem magnitudinem habuerit talis vomica, dum ægri in latus ſanum decumbunt, premetur mediaſtinum verſus alterum thoracis latus, adeoque anguſtabitur locus, in quo pulmo non affectus hæret; ergo & ille difficilius dilatari poterit ab aëre inſpirato: & cum in altero latere affecto a vomica tumente reſpiratio jam impedita ſit, non poterunt ægri ferre has anguſtias, & brevi ſitum corporis mutabunt, donec magis commodum inveniant, qui ſemper obſervatur adeſſe, dum in latus affectum decumbunt. Unde monuit *Hippocrates* a) ſequentia: *Si vero ſuppuratio fuerit in alterutro latere tantum, & vertere ægrum, & condiſcere poteſt in his, num aliquem habeat dolorem in altero latere, & an alterum ſit calidius altero, & ægro in ſanum latus decumbente interrogare, ſi quod ipſi pondus deſuper impendere videatur. Si enim hoc fuerit, in altero latere ſuppuratio eſt, in quo pondus adfue-*

fuerit. Cum autem pulmo inflammatus ſæpe cum pleura contigua concreſcere ſoleat, poterit fieri, ut talis adhæſio impediat, quo minus abſceſſus pondere ſuo premat mediaſtinum, dum æger in latus ſanum decumbit. Verum tunc a diſtractione partium inter ſe cohœrentium modeſta tenſio, imo ſæpe dolor ſatis acutus percipitur ab ægris, unde pariter coguntur in latus affectum decumbere.

a) Hipp. in Prognoſticis.

Hæc reſpirationis incommoda, atque febricula illa periodica, veſpertina, aucta ſenſim per noctem, antelucano tempore ſenſim una miteſcunt, ſudoribus obortis, præſertim circa jugulum & frontem, in guttas ſæpe collectis, quibus ægri vires ſenſim exhauriuntur, pinguedo cellulis muſculorum interſtitiis interpoſitus liqueſcit, & macies tandem univerſo corpori inducitur. Pallorem autem, maciem, & debilitatem ſummam adeſſe debere, ex præcedentibus apparet: ſolutus enim ob deficientem aſſimulationem ſanguis pallorem facit; ſudores nocturni, depaſcens febricula hectica, proſtratus appetitus, maciei & debilitatis ſummæ ſunt cauſæ. Latentis autem in pulmone abſceſſus ſigna pulcherrime collegit *Hippocrates* a), & ſic deſcribit. *At*

pu-

purulentos omnes hisce signis cognoscere oportet: „ primum quidem, si febris non dimittat, verum interdiu tenuis detinet, noctu vero major, & multi sudores oriuntur circa collum & claviculam; tussiendi autem cupiditas illis inest, & nihil effatu dignum exspuunt, oculique cavi fiunt, & ungues quidem manuum adunci evadunt, digiti autem incalescunt, maxime summi, & in pedibus tumores fiunt, & cibos non appetunt, & phlyctenæ per corpus nascuntur. "

a) Hippocrat. in prognosticis.

Exitus variæ factæ suppurationis.

Sequuntur jam varii exitus apostematis pulmonalis, qui singuli considerandi sunt.

I. Ex illis, quæ in præcedentibus aphorismis dicta fuerunt, patuit, abscessum pulmonis, dum fit, & dum factus est, dyspnœam facere, ob impeditam pulmonis explicationem ad liberam respirationem requisitam. Si ergo non rumpatur talis abscessus, neque pus contentum venis resorptum evacuetur aliis viis, vel per metastasin ad alia loca delatum, pulmonem liberet, patet evidenter, augeri debere hunc tumorem magis magisque, donec tandem post intolerabiles angustias suffocetur æger. Unde dixit *Hippocrates* a); *si*

ve-

vero non possit multo tempore rumpi, neque sponte, neque a medicamentis, contabescit æger a vehementibus doloribus, & inedia, & tussi, & febribus, & plerumque perit. Vidit in cadavere hoc morbo defuncti *Boerhaavius*, unius lateris pulmonem in saccum pure plenum conversum adeo prodigiosæ magnitudinis, ut non tantum cor ex situ suo dimoverit, & alterius lateris pulmonem in minimum spatium compresserit, verum etiam diaphragma in abdomen protruserit, & prominere fecerit. Quam horrenda autem mala mortem præcesserint, a tanta districtione harum partium, facile colligitur.

a) Hippocrates de morbis L. 1. c. 8.

2. Præter hanc senfim exortam atque auctam suffocationem, subito etiam nonnunquam homo suffocatur, si nempe magnus talis abscessus subito crepet, ut non pauca copia simul pus exeat, sed uno cum impetu se undatim exoneret in asperam arteriam, illa sic implebitur, ut nulla via supersit aëri inspirato; unde subita mors. Notavit funestum hunc suppuratæ peripneumoniæ exitum *Aretæus* a): *si vero in pulmonem cum impetu pus prorumpat, sunt qui suffocantur, & ob confectam aggestionem, & rejiciendi angustiam,*

3. Ubi vero abſceſſus pulmonalis maturus aperitur ſic, ut collectum pus in aſperam arteriam veniat quidem, verum ob collecti puris copiam minorem, vel anguſtiorem aperturam ſacci illius purulenti, parum ſimul prodeat, ſputo purulento ſolvitur morbus, ſed ancipiti tamen cum eventu. Liberatur enim quidem ſic pulmo, & ægri inſigne levamen percipiunt; verum tamen ne ſic quidem ſemper inde emergunt: requiritur enim ad ſanationem, ut cavum illud, in quo pus hæſerit, depuretur, ſubſidant ejus latera, & conſolidentur ad ſe mutuo. Pulchre hoc monuit *Hippocrates* a), de ſuppurato pulmonis tuberculo agens: *& ſi quidem quam citiſſime maturuerit, & ruptum fuerit, & ſurſum vertatur pus, & totum exſpuatur, locusque cavus, in quo pus ſubſidat, & reſiccetur, prorſus ſanus evadit.* Quo enim diutius clauſus manſerit locus ſuppuratus, eo major copia puris colligitur, atque eo magis metuendum, ne retentum pus more & calore acrius factum vomicæ continentis latere rodat, conſumat cavum, in quo hæret, augeat, atque poſtea evacuato pure difficilior ſit depuratio cavi hujus loci, & conſolidatio; quæ tamen ad perfectam ſanationem omnino requiruntur. Quin

imo,

imo, licet & quam citiſſime rumpatur pulmonis abſceſſus, nondum tamen omnis metus abeſt; dum nempe omnes fere corporis humores ad hunc locum confluunt, & in pus convertuntur. Simul inde intelligitur ratio, quare quandoque in longum tempus talis morbus ex peripneumonia natus excurrat; dum nec depurari ſatis, & conſolidari poteſt talis ſuccus, interimque vires ſufficiunt, imprimis in juvenili corpore, ut morbum ferat diutius, quotidie pure per ſputa rejecto, ſed & quotidie ratio. Contigit *Swietenio* videre rarum ſatis caſum, qui docet, diutiſſime tolerari poſſe hunc morbum, tandem tamen lethali exitu funeſtum b). „ Conſulebat me egregregius juvenis, externa ſpecie omnino ſanus apparens; cumque morbum celaret de induſtria, fateor, me non potuiſſe detegere, quid lateret in corpore mali: rogavit autem me, ut ſequenti mane illum inviſerem, dixitque, quod tunc facile morbum noſcerem. Adfui, & me præſente in lecto ſe erigens uncias aliquot puris boni absque multa moleſtia tuſſiendo leviter exſcreavit, ſanctèque aſſeveravit, quod jam per octo annos quotidie magnam copiam puris rejiceret, ad minimum quatuor uncias æquantem pondere, quandoque & majorem

rem longe quantitatem. Minuebatur aliquando puris excreti copia, & fere nihil exſpuebat; verum tunc ſequi ſolebat pectoris oppreſſio, dolor ſatis acutus in pectore, febris valida; & poſtquam uno alterove die hæc mala paſſus fuerat, ingentem copiam puris exſcreabat, ſatis tunc olidi, atque iterum ſatis bene ſe habebat. Hoc modo acerbam peritiſſimorum medicorum prognoſin, qui illum tractaverant ita decumbentem ſe ſæpius eluſiſſe narrabat; dumque poſt aliquot ſeptimanas, ſuppreſſo ſputo purulento, iisdem cum ſymptomatibus conflictantem inviſerem, & peſſima quævis metuerem, ſecurum me eſſe juſſit, brevi ſe ab his malis emerſurum; atque eventus promiſſis reſpondit. Tentavi lacte aſinino herbaceo, decoctis herbarum vulnerariarum leniter detergentium potatis, magna copia, una cum balſamicis pilulis ex myrrha, olibano, ſarcocolla &c. equitatione, victu idoneo morbum curare. Sed incaſſum, & poſtquam per novem integros annos, absque inſigni corporis colliquatione (vidi enim adhuc illum binis ante mortem ſeptimanis) tantum morbum tulerat, ſubita morte periiſſe intellexi. Vidi plures alios, qui morbum hunc per unum alterumve annum tulerunt. „

a)

a) Hippocrates de morbis L. I. c. 8.
b) van Swieten comment. ad §. 836.

Omnia autem, quæ ad prognosin fausti vel infausti eventus pertinent, dum pulmonis abscessus sputo purulento solvitur, accuratissime collegit *Hippocrates* a): *superstites evadunt ex his potissimum, quos febris eodem post ruptionem die dimiserit, & qui cibos celeriter appetant, & siti liberati sint; & venter tum exigua, tum compacta dejiciat, & pus album & leve, & ubique ejusdem coloris sit, & a pituita liberum, & citra dolorem, & vehementem tussim expurgetur. Sic quidem optime & celerrime liberantur; sin minus, hi, quibus proxima his contigerint. Intereunt vero, quos & febris eadem die non demiserit, sed quum videtur dimisisse, iterum recalescens appareat; & sitim quidem habuerint, cibos vero non appetiverint, & alvus liquida fuerit, pusque ex viridi pallidum, & lividum exspuerint, aut pituitosum & spumosum. Si hæc omnia contigerint, intereunt. At quibus ex his quædam accesserint, quædam non, illorum quidam intereunt, quidam etiam multo post tempore superstites evadunt. Verum ex omnibus signis, quæ adsunt, tum in his, tum in aliis omnibus, conjecturam facere oportet.*

a) Hipp. in Prognosticis.

4. Sequitur alter peripneumoniæ suppuratæ exitus, dum nempe apostema ruptum pus non effundit in tracheam, sed in pectoris cavum; funestus plerumque, cum nullus fere puri hic deciduo exitus pateat, nisi per artem via paretur thoracis paracentesi instituta. Cum autem pulmo inflammatus vicinis locis accrescat sæpius, poterit & tale apostema ruptum in pericardii cavum pus effundere, uti etiam in mediastini cava dilatata. Novimus autem talem peripneumoniæ exitum adesse, si post omnia signa facti abscessus, nullo pure per sputa aliasve vias evacuato, nullaque metastasi facta ad alia loca, subitum levamen ægri percipiant; *quia pus ex angustia in ampliorem locum venit.* a) Videtur etiam notasse *Hippocrates* b), quod quandoque tali abscessu rupto, quædam pars per sputa exeat; longe major tamen puris portio in septum transversum delabatur; neque multum videtur sperasse in tali casu a puris eductione, quæ per thoracis aperturam fit.

a) Hipp. de morbis. L. I. c. 16.
b) — — de morbis. L. I. c. 8.

Quam mirabiles autem pus ex pulmonis abscessu rupto exiens, sibi vias quandoque pa-

ra-

raverit, docent obſervationes medicæ plurimæ. Non autem hic conſideratur ille modus, quo pus in abſceſſu clauſo diutius retentum, attenuatum venis reſorptum ad varia loca deponitur, vel & variis quandoque viis exit de corpore; verum tantum de illis obſervationibus ſermo erit, quæ docent pus vicina loca eroſiſſe, & inſolitas ſibi paraſſe vias. In hominis poſt peripneumoniam ſuppuratam defuncti cadavere inventus fuit pulmo firmiter accretus pleuræ & diaphragmati, ſimulque apparuit pus, licet & per ſputa pars ejus excreta fuiſſet, eroſiſſe diaphragma, & hepar ipſum ad pollicis profunditatem, atque in hoc viſcere ſinum purulentum feciſſe, cujus diameter tres æquaret pollices. a) In alio homine poſt mortem inventus fuit pulmonis abſceſſus, cujus pus eroſerat contiguum & accretum diaphragma, ipſumque ventriculum foramine tam amplo, ut pollicem facile admitteret. b) Huic affinem caſum notavit *Jacotius* c) in muliere, quæ quibusdam ante mortem annis vomitu ſolebat per intervalla rejicere magnam puris copiam cum defectione animi, vocis privatione, & gravibus aliis ſymptomatibus, quibus levabatur a vomitu. Mortua & diſſecta ingens vomica in pulmone

ne reperta eſt. Tumor ovi gallinacei minoris molem æquans inter cartilaginem enſiformem, & marginem cartilaginis coſtæ ultimæ veræ. & binarum coſtarum ſpuriarum ſuperiorum prominebat, dum tuſſiebat homo ulcere pulmonali laborans; & poſt mortem inveniebatur, pulmonis abſceſſum ſatis magnum tali loco hærere, ut diaphragma extendere potuerit, & hunc tumorem formare.

a) Medical eſſays. T. I. p. 273.
b) ibid. T. p. 332.
c) Holler Comment. in Coac. Hipp. p. 27
d) Memoires de l'Acad. de chirurg. T. I. p. 717

5. Dum ulcus pulmones ita exedit, ut totus inde habitus corporis conſummatur, phthyſis pulmonalis adeſſe dicitur; unde facile patet, pulmonis abſceſſum in hunc morbum vergere.

6. At alius quoque exitus datur facta ſuppuratione, isque bonus; nempe abſceſſu mature in bronchia aperto, per *amplum vulnus*, febre mox ceſſante, pure bono, ætate & reliquis bonis. Rarius equidem id contingit; & ſubinde felices tales caſus *Stollius* obſervavit.

De

De vomicis cæteroquin ſequentia notanda ſunt: 1. Hic peripneumoniæ exitus quandoque epidemicus eſt, ut neque inflammationis magnitudini, neque perverſæ medendi methodo ſuppurationem poſſis adſcribere. 2. Abditum id vitium eſt quandoque, ſæpe nec laboranti, nec medico notum; cum æger ipſe nec conſueta munia intermittit, nec ſe morbo teneri putat, cauſamque interitus ſui neſciens intus gerit ſub pectore. a) 3. Minus gravis, minus periculoſa magna, & ſolitaria vomica, quam plures, æque graves, & minutæ. b) 4. Experientia & obſervatione conſtat, vomicam dextri pulmonis acutiorem, & periculo pleniorem eſſe vomica pulmonis ſiniſtri c); quod equidem nullam indicationem, at prognoſin ſuppeditat. 5. Suppuratorum ex peripneumonico morbo ſeniores magis intereunt. d)

a) Fernelius Pathol. p. 522.
b) Mead monita & præcepta. p. 38.
c) Tralles de opio. Sect. IV. p. 14.
d) Hipp. Prognoſt. Cap. XI. p. 184. Edit. Haller.

METASTASIS.

Signa orituræ metaſtaſis.

Alter modus, quo peripneumonia in alium morbum tranſit, eſt ille, qui per metaſtaſin materiæ morboſæ ad alia corporis loca fit. Illa autem obtinet, quando materies phlogiſtica neque excernitur ſputo, alvi fluxu, vel urina, neque in pulmone collecta accumulatur, & vomicam format, ſed ad loca quædam corporis deponitur. Notandum autem hic eſt, proprie non fieri bonam & ſalutarem talem metaſtaſin, dum pus jam in pulmonis ſubſtantia collectum hæret, abſceſſu jam formato: ſed tunc tantum, quando materia inflammatoria cocta jam & mobilis quidem reddita, atque puri analogam naturam adepta eſt, ut illæſis pulmonum vaſculis in ſanguinis maſſam tranſire, & ad diſſitas corporis partes migrare poſſit; cum verum pus, prægreſſa ſcilicet pulmonum inflammatione, non niſi facta continui læſione excernatur.

Dubii equidem eventus habendi ſemper ſunt hi abſceſſus, cum criſin minus perfectam referant; at multa tamen habentur tum in veterum monumentis, tum in recentiorum etiam obſervationum collectionibus, ſanatio-

nis

nis exempla. Univerfim, eo majus ab abfcef-fu periculum inftat, quo vifcus affectum nobilius eft. Hinc periculofiffimæ metaftafes, quæ caput opprimunt; fæpe ad hepar fit decubitus, ut hepatidis fecundaria inde oriatur. Melioris ominis ii funt abfceffus, qui in partibus externis contingunt. Ratio autem, horum abfceffuum a vitio præexiftente cujusdam partis, a genio epidemico, & ab erroribus tum ab ægro, tum a medico commiffis derivanda eft.

Metaftafin inftare fcitur. 1. ex levamine pulmonis inflammati. 2. Ex abfentia lyfeos, crifeos; præfentibus tamen orituræ fuppurationis indiciis. 3. Ex pulfu interea miro, vario, vacillante, turbato, cæteris utut non malis. Exemplum talis pulfus apud Swietenium a) habetur. „ Vidi in pleuritide poft binas venæ fectiones prægreffas tertio die incipientem dolorem lateris evanefcere, fed pulfus erat undofus quafi, & vacillans, caprizans quafi; hinc conclufi materiam phlogifticam nondum fatis fubactam reforptam in vafa fluere, & fic pulfum mutare; hinc metuebam metaftafin materiæ in nobile vifcus, imprimis cum levia delirii futuri figna adeffent, dedi fumma derivantia, & alvum laxavi per decoctum ta-

ma-

marindorum, cum levamine. Pulfus ille undolus duravit per totum morbi decurfum; & per diarrhæam critice foluta fuit pleuritis. „ 4. Ex mox infequente alicubi tumore, rubore, dolore, vel functione vifceris cujusdam inflammatorie læfi: *Quibuscunque ex morbis refurgentibus aliqua pars doluerit, illic abfceffus oriuntur.*

a) Ill. van Swieten. Conftitut. Epid. T. I. p. 91.
b) Hipp. in prognofticis.

Abfceffus ad crura.

Signa autem, quibus admoniti abfceffus ad crura, aures, hepar oriri prædicimus, & *communia* funt, in omni abfceffuum genere præfentia, & *propria*, quæ a loco petita, in certa quadam parte corporis abfceffum fieri fignificant. Abfceffui autem ad inferiora orituro, id *proprium* eft, ut hypochondria leviter tenfa fint, & doleant; quibus levioris inflammationis fpeciem in hac regione cognofcimus; at omnino ex re addidit *Boerhaavius* eam inflammationem leviorem effe oportere; tenfio enim validior, atque vehementior in hypochondrio, dextro præfertim dolor, non

jam

jam abſceſſus, ſed inflammationis hepatis metum injiciunt.

Abſceſſus ad aures.

Proprium ſignum, ex quibus parotides oriri colligitur, eſt mollities hypochondriorum. Nam tunc fieri abſceſſus verſus ſuperiora conſtat, ſi ſigna generalia futurorum abſceſſuum adfuerint, & hypochondrium molle, & doloris expers apparuerit, & cum difficultas ſpirandi per aliquod tempus facta, citra aliam evidentem cauſam quieverit. Novimus enim ex his ſignis morbi materiem locum mutaſſe, neque evacuatam tamen eſſe, nec verſus inferiores partes vergere, adeoque nihil ſupereſt, niſi ut ſuperiora petat, atque ſolemni naturæ, morbos per metaſtaſin ſanandi, rite in parotidis glandulas deponatur. Verum quidem eſt, in morbis quandoque & parotides naſci, licet & ſimul hypochondria afficiantur, ſed tunc ſemper periculoſæ ſunt, cum notent, tantam materiæ morboſæ copiam eſſe, ut hæc loca illam capere nequeant; vel ſaltem non ſuccedere ſalutare id naturæ molimen, quo ad loca innoxia materiam morbi deponere tentabat, ſed viſcera ſimul eadem

ſa-

ſaburra gravari. Unde parotides ex doloribus hypochondriorum emergentes malignas eſſe dixit *Hippocrates* a), *Anxietatem in hypochondrio ſentientibus tumores circa aures orti, mortem inferunt.*

Hipp. Coac. *Prognoſt.*

Abſceſſus ad hepar.

Dictum fuit ſuperius, materiam morbi, dum verſus inferiores corporis partes tendit, ad hypochondria levioris inflammationis ſigna producere; adeoque metum eſſe, ne per hæc viſcera difficilius tranſiens in illis colligatur, & abſceſſus formet. Novimus autem tunc ad hepar verti materiem, ſi poſt ſigna generalia futurorum abſceſſuum prægreſſa dolor in hepate percipiatur, non evanidus ſubito, uti fit, dum circa crura oriuntur abſceſſus, ſed manens. Reliqua indicia abſceſſus hic formandi ſummuntur a læſionibus illarum functionum, quæ huic viſceri propriæ ſunt, ſecretionis nempe, & excretionis bilis. Obſtructo enim aut inflammato hepate bilis in ſanguinem regurgitat, & cutim flavo colore, uti & urinam tingit. Niſi autem materia inflammatoria, ſic

in

in hepar delata, per ductus excretorios venæ portarum viam invenit, atque in intestinorum cavum delapsa per alvum expellatur, vel in venam cavam redux ad alia loca minus periculosa deponatur, aliisve viis de corpore exeat, vomicam hepatis faciet, a qua raro emergunt ægri. Uti jam ad hepar talis metastasis fit, sic & facile concipitur, & ad alia viscera idem fieri posse. Læsio functionum lucem dabit ad detegendam partem adfectam; & pro diversitate viscerum, in quæ materia hæc decubuit, vitabit prognosis. Soli ergo laudabiles sunt abscessus, qui ad partes exteriores fiunt.

Signa itaque salubritatis talium abscessuum hæc sunt; si pulmo levatus, febris mitior, ulcus diu atque bene fluens. At pulmone læso, febre pergente abscessus non judicant. Metastasis cum sputo purulento mala. Metastasis denuo recurrens ad pulmones, mala valde.

Effusio lymphæ coagulabilis, seu crisis erronea.

Alius mali peripneumonici morbosus exitus habetur, dum lympha coagulabilis sub quadam criseos erroneæ specie effunditur, modo, & eventu vario.

Mo-

Motus autem, quo effusio lymphæ coagulabilis triplex habetur. Aut enim in ipsam pulmonum substantiam transsudat, aut in thoracis cavum effunditur, aut in vesiculas & ramificationes bronchiales subito deponitur.

Primus erroneæ hujus criseos modus tubercula pulmonum producit; dum nempe per substantiam pulmones innumera puncta, lentis magnitudine, alba, dura, semicartilaginea, dispersa reperiuntur. Fit hoc, si nulla lysis, nulla crisis, nulla suppuratio fiat; febris tamen sensim cesset. Asthma tunc oritur insanabile, motu, potu, febre auctum. Sed alia quoque sæpissime accedunt symptomata, e quibus tuberculosam pulmonum labem magna cum probabilitate conjicias. 1. Ægri irritamentum tussis plerumque in gutture sentiunt. 2. Colore faciei sublivido sunt. 3. Varia sæpe pulsuum a tuberculis vicissitudo observatur; celer, frequens, inæqualis, intermittens. 4. Varia symptomata tuberculorum pulmonalium a varia sede horum tuberculorum derivanda sunt. a) 5. Summa in novas peripneumonias proclivitas a tuberculis nascitur, ut vel levior catarrhalis stimulus excitandæ pulmonum inflammationi idoneus sit. 6. Si igitur in morbo alias non inflam-

flammatorio peripneumonia superveniat, id malum a tuberculosa labe hujus visceris invitatum esse recte conjicies; atque infausta inde prognosis statuenda est. 7. Ii, quibus pulmones tuberculosi sunt, a perspiratione suppressa pessime multantur; summa enim cutis sensibilitas, & mira vel frigidiusculæ auræ impatientia.

a) Sennert. Prax. med. P. II. p. 191.

Quam male ferant hi ægri suppressam transpirationem, *Huxhamus* a) quoque observavit, cum epidemicum anni 1738 statum describeret, ubi sequentia adnotat. „Tempestas quidem haud insalubris est (mense Februario) at plures jam *phthysi* tabescunt pulmonaria, cui dedit originem mala judicata febris *catarrhalis*, hic maxime sæviens ultimo Novembri & Decembri. Periclitantur admodum, qui asthmata olim aut tussicula sicca laborabant, quorum in pulmone nempe delituerant tubercula; quæ cum sint impedimento tranantii sanguini, facile inflammantur, ac in ulcera tandem degenerant; vel negata his in locis obstructis, sanguini via, nimius ruit ad alias pulmonis partes, unde hæmoptoë sequitur denique, aut inflammatio, aut tabifica in bron-

chio-

chiorum cava destillatio. Non omnis utique tabes pulmonaria ab ulcere pendet; plures enim quotidie per longum tempus immensam muci salsi, dulcis, vel etiam plane insipidi copiam per tussim rejiciunt, cui nec fœtor inest, nec purulenti aliquid, glandulis nimirum cum ductibus asperæ arteriæ relaxatis nimium. Hoc tamen sæpe, licet ægros diutius trahens, haud lethale minus fit, quam si vel ipsam saniem exspuissent. — Augetur semper hoc malum ex levissimo suscepto frigore, occlusis scilicet cutis spiraculis maximum fit in pulmones influvium; haud aliter sane, quam persæpe videmus retentum perspirabile per nares depluere. Contra sicca frequenter urget tussis, & spirandi difficultas, obstructis adeo, & induratis pulmonum glandulis, ut in lapideam pene abeant duritiem, dum bronchia præ nimia siccitate rigescant, muco naturali deficiente. "

Huxham Op. T. I. p. 197.

Alia lymphæ phlogisticæ effusio in ipsum thoracis cavum penetrat, eventu itidem vario. Vel enim subito, & copiosa talis transsudatio contingit, ut æger tanta mole suffo-

ca-

catus pereat; vel partitis vicibus, & parca semper copia materies phlogistica effunditur; multiplex tunc vitium solet oriri levius, graviusve. Materies enim, quæ, cum transsudaret, liquida omnino esset, mox post effusionem coagulatur, atque in pseudomembranam abit, quæ cum variis partibus, quibus interponitur, coalescit, & aut præternaturalia vincula efficit, aut situm partium naturalem miris non raro modis mutat. Vasculosam vidit *Stollius* a). *Morgagni* b) etiam, tali pseudomembrano aliquando deceptus, eam pro incrassata pleura habuit. Nonnunquam talis membrana totum pulmonem investit; alias pulmones in quibusdam tantum plagis, & vinculo laxiori ad pleuram religat. e) Nonnunquam plurima veluti septa format, aut cellulas, turbida sanie repletas, aut sero sanguinolento plenas. d)

a) *Stoll* rat. med. T. I. p.
b) Morgagni de sed. & caus. morb. T. I. p.
c) Idem l. c. T. III. p. 159.
d) — — l. c. T. I. p. 431.

Subinde equidem sine magna sanitatis jactura tales cohœsiones feruntur; si nempe parvæ sint, ut æger sensim possit assuescere,

&

& ea ipsa vincula tempore magis elongentur; at si amplus cohœsionis locus, membrana crassa, atque tenacior, pulmones toto ambitu stringens; asthma oritur insanabile.

Cæterum de hac erronea materiæ phlogisticæ in ipsum thoracis cavum transsudatione, atque ejus in pseudomembranas, & in præternaturalia vincula coalescentia, sequentia adhuc notanda sunt:

1. Certa & indubitata signa criseos erroneæ adhuc desiderari; etsi plerumque signa coctionis præcedere soleant, difficillimum nihilominus determinatu est, qualis morbi exitus sequatur.

2. Sæpe genius morbi crises tales erroneas epidemicas producit; sæpius tamen a perversa medendi methodo lymphæ phlogisticæ transsudatio oritur. A vesicantibus thoraci applicatis hanc crisin erroneam produci, asserit *Bourdeu.* a)

a) Bourdeu vom Schleimgewebe.

3. Frequentius forte hæ pseudomembranæ in iis pulmonum inflammationibus comparent, quæ a subito perfrigerio corpore æstuante oriuntur. In ambobus etiam frequenter ab

hac

hac caufa præternaturales cohœfiones oriri *Swietenius* a) monet : „ Numerofiffimæ obfervationes confirmant, poft pleuritidem & peripneumoniam tales concretiones pulmoni, cum pleura inveniri. In bobus, quod animalium genus frequentiffime hoc morbo corripitur, laniones toties inveniunt pulmonem pleuræ validiffime acretum effe, atque repetitis experimentis certi funt, talem morbum tunc prægreffum effe. Quin imo & in exterioribus partibus horum animalium concretio membranarum ad fe mutuo obfervata fuit a talibus caufis, quæ inflammationi producendæ funt aptiffimæ. Talem morbum defcripfit *Columella* b) fequentibus: *Eft & infefta peftis bubulo pecori, coriaginem ruftici appellant, cum pellis ita tergori adhæret, ut apprehenfa manibus deduci a coftis non poffit. Ea res non aliter accidit, quam fi bos aut languore aliquo ad maciem perductus eft, aut fudans in opere faciendo refrixit, aut fi fub onere pluvia madefactus eft.* "

a) van Swieten comment. ad §. 843.
b) Colomella. L. VI. c. 13.

4. Hinc etiam catarrhi inflammatorii neglecti, aut calefacientibus remediis tra-

ctati crisin hanc erroneam frequenter producunt.

5. Tale lymphæ phlogisticum coagulum in fœtu hucusque nullibi visum est a); non raro tamen in teneris puerulis. b)

a) Morgagni. L. c. P. I. p. 278.
b) Haller opuscul. pathologic. p. 19.

Tertius denique modus erroneæ crisis tunc habetur, cum lympha coagulabilis non in ipsam pulmonis substantiam, neque in cavum thoracis, sed subito in vesiculas bronchiales transsudat, in ægri salutem non raro, si parca tantum copia effundatur. Epidemicam ferme talem crisin erroneam *Richa* a) adnotavit in *constitutione Taurinensi* anno 1721; & Illustris *Swietenius* peripneumonias anni 1728. adducit, *subitissime suppurandas, & se tunc per sputa evacuantes.* b) Huc quoque facit historia illustris Viri *Conzagæ*, sexto morbi die defuncti, in cujus cadavere observasse refert *Cardanus* c) omnia vasa pulmonis ex triplici genere, magis tamen asperæ arteriæ ramos plenos sanie simile lacti adeo, ut nullus prorsus adesset sanguis.

a) Richa conſtit. Taurinenſes. Sydenh. Op. P. 2. p. 446.
b) van Swieten conſtit. T. I. p. 35.
c) Cardanus de providentia, & anni conſtit. p. 1052.

Hydrops.

Non raro hydrothorax ex peripneumonia originem trahit; atque tunc potiſſimum malum hoc ſuperveniens metuendum eſt, ſi durante inflammationis augmento urinæ parcius fluant.

Præter has modo enumeratas peripneumoniæ ſequelas, alii quoque effectus numerandi ſunt: 1. varicoſa vaſorum encephali conditio, quam in cadaveribus peripneumonia extinctorum obſervavit *Morgagnius* a), unde diſpoſitio, aut germen variarum mentis aberrationum. Qui inflammationibus pectoris decubuere, iis plerumque cor amplum, & ſummopere dilatatum b); unde varia circulationis vitia, frequentes leipothymiæ, mors inopinata.

a) Morgagni L. c. T. I. p. 413.
b) — — — — p. 426.

Gangræna.

Ad ultimum denique, atque funestissimum exitum peripneumoniæ, nempe gangrænam pervenimus. Inflammationis magnitudo, neque lysi, criticisve evacuationibus solvenda, aut blanda suppuratione terminanda gangrænæ metum injiciunt; pulsu præsertim debilissimo, parvo, irregulari, atque extremitatibus frigidis. Maxime autem sputorum conditio, cessante subito pectoris molestia, dum interim febris, æstus, sitis ingens, & spiratio difficilis perseverant, gangrænam præsentem significant; sputa enim tunc tenuia, ichori simillima, fœtidissima. Nonnunquam spuunt sanguinem nigrum, porosum, ad instar spongiæ, iis pars aliqua sphacelo corrupta est, & omnes pereunt. a) Neque tamen subita semper a gangræna mors: narrat enim *Huxhamus* b) historiam mercatoris, qui ex simili peripneumonia gangrænosa primum decima nona morbi die obiit.

a) Bagliv Op. p. 87.
b) Huxham Op. T. II. p. 187.

Inter signa destructi a gangræna pulmonis a quibusdam medicis etiam stigmata illa

ni-

nigra numerantur, quæ ſæpe in exſtipiciis obſervantur. Verum tamen non crediderim illa ſtigmata a corruptione gangrænoſa orta eſſe, cum nulla plane ratio adſit, cur hæ notæ ſphaceli in hoc tantum, vel illo pulmonum lobo compareant, reliqua illius parte perfecte integra. Dein hæc ſtigmata non inter certa prægreſſæ gangrenæ ſigna numeranda eſſe, inde colligitur, quod etiam in aliis diverſis omnino a peripneumonia morbis ejusmodi ſtigmata obſerventur; ſcilicet in apoplecticis, hydrothorace, nephritide, febre lenta, ut paſſim *Morgagni* a) adnotavit.

a) Morgagni de ſed. & cauſ. morb.

Prognoſis in ſpecie.

Quænam in pulmonibus ab inflammatione mutationes oriuntur, ſupra dictum eſt, cum aphor. 41. & ſeq. explicarem. Periculum etiam, quod ab inflammato pulmone imminet, & quid ſperare, aut timere debeamus, hucusque abunde demonſtratum eſt, ut de prognoſi in genere ſatis conſtet; juvat tamen etiam quasdam ſingulares notas colligere, quæ funeſtum exitum ſignificant. „ Operæ pretium eſt, ait

illustris Swietenius a) considerare illa funesta symptomata, quæ medicum docent certam instare perniciem. Præstantius quidem foret sanare ægros, quam futura prænoscere; verum cum illud semper in potestate medici non sit, tunc saltem famæ suæ consulet, & omni culpa vacare credetur, si præviderit, & prædixerit, quinam ægri evadere possint, quinam autem perituri sint. "

a) van Swieten comment. ad §. 848.

Si cor in latus procidat. Scilicet, si a pulmone sinistro *inflammatissimo* & voluminosiore urgeatur *antrorsum, dextrorsumque.* Vel si pulmo dexter totus inflammatus, voluminosiorque urgeat sinistrorsum ad latus, & *pulmonem sinistrum,* & cor ipsum. Vel si circulo per pulmones fere suffocato, cor dextrum cum sua auricula ab effluente sanguine summopere distenditur, sinistrum vero fere vacuum fit, tunc procumbit, prociditque in latus proprium dextrum, utpote ponderosius.

Si urina *cocta* initio, fit tenuis, cruda, parca; est enim metastaseos signum.

Malum, si in vigore morbi æger cogatur erectus sedere; motu enim hoc automatico

ægri

ægri plus ſpatii in thorace acquirunt; unde recte concluditur, maximum ſanguini per pulmones tranaturo impedimentum opponi.

Peſſimum ſignum, ſi pus per alvum ſecedat; tunc enim jam *ſolutio continui*, jam *vomica* adeſt. Pus autem per alvum *ſero* tantum dejicitur.

Si ſicca cum fervore &c. Tunc enim vaſa aërea fere deleta, & ſpiſſo humore infarcta ſunt; ſtrepitus is oritur ab aëre pauco, violenter inſpirato, in vias aëreas anguſtatas, compreſſas. Strepitus hic ſignum imminentis mortis; moribundorum ſpiratio. Unicum novit *Stollius* adhuc ſervatum. In aſthmate minus periculi a tali ſtrepitu.

Si peripneumonia in corpore durato, virili, macro, ſicco, ſenili, rigido ob labores, ſpirituoſa aſſumpta oriatur, mala prognoſis. Magna enim tunc, & inflammatoria tenacitas in liquidis adeſt, & rigida vaſa cedere nequeunt, unde nihil boni in hoc morbo ex ſua natura adeo periculoſo ſperari poterit.

Si mala eſt cum ſtillicidio prærubro narium: ſtillicidium enim non eſt ob materiæ paucitatem judicatorium; eſt tamen ſignum negati tranſitus per pulmones, coacervati ad ſupe-

rio-

riora; inde mors sæpe *appoplectica*. Rubra, tenuisque pars stillicidio prodit.

Sicca cum rubore ad collum, thoracem: tunc autem materies est acris, erysipelatosa, scarlatinosa; scilicet acrioris indolis.

In omnibus autem morbis circa pulmonem gravedines, & sternutationes, & præcessisse, & consequi malum. a) Textus est Hippocraticus, qui ita debet intelligi: Si in seniculo *catarrhoso* antea, longa gravedine detento oriatur peripneumonia, ea est sæpe & inopinanter lethalis. Vidit hoc *Stollius* in Principissa St. * * Est species peripneumoniæ nothæ, senilis, tempore austrino in seniculis frequens.

Maximum periculum, si in febre *ardente* peripneumonia accedat; est enim ipsa sola *ardens* morbus periculosus, ut audiemus suo tempore; constat enim ex *biliosa inflammatoria*, & *intermittente tertiana*.

Si sputum *biliosum pure* mixtum: signum enim est, partem jam suppuratam esse.

Si sputum initio valde cruentum, flavum, sincerum, album, rotundum; tunc enim pus jam adest; tunc pulmo antea jam fuit læsus, tunc *tubercula* rupta fundunt globulos purulentos. Spumosum vero sputum designat,

sum-

ſumma vi urgeri humores per vaſa vix pervia in pulmone, atque ideo per vaſa mucum ſecernentia exprimi ſolito craſſiores, & tenaciores humores.

Inter mala etiam peripneumoniæ ſigna ſequentia numeranda ſunt:

Mala, & fere lethalis peripneumonia eſt, quæ pleuritidi, anginæ ſupervenit; peſſima peripneumoniæ recidiva, cum pulſu celerrimo; duriſſimo.

Malum, ſi æger poſt aſſumptum potum urinam aquoſam ſtatim mittat; eſt enim ſignum morbi crudiſſimi, ad coctionem prorſus inepti. *Hippocrates coac. prænotat:*

Malum, ſi poſt tertiam venæ ſectionem nec minimum morbi levamen obſervatur. Malum, ſi ſanguis e vena miſſus ſemper cruſta caret. *Bagliv. Huxham.* T. II. p. 169,

Peſſima cum ſudore in pectore: *Hoffmann* med. rat. P. III. p. 333.

Quibus morbus cum febre 5 aut 7 die ingraveſcit, & oculi caligant, illi 9 aut 11 die moriuntur. *Hippocrates*

Peſſimæ peripneumoniæ cum reſpiratione mere abdominali, & pinnis narium tremulis.

Notandum tamen eſt, pleraque præſagia de infauſto peripneumoniæ exitu de *vera*

pul-

pulmonum *inflammatione* potissimum intelligenda esse: minus autem *rigorose* ad rheumaticas hujus visceris inflammationes pertinere. Nam dantur ægrorum historiæ, ubi e. g. quarto die febris & oppressionis augmentum aderant, & urinæ jam ab initio coctæ post quartam diem denuo turbarentur, fausto tamen cum eventu. a) Aliam quoque historiam narrat *Swietenius* pleuritidis cum pulsu celerrimo, minimo, atque respiratione pinnis narium peracta, attamen non lethalis. Ast uterque morbus fuit rheumatico inflammatorius.

a) Ill. van Swieten constit. Epid. T. I. p. 20.
b) — — — — T. I. p. 80.

De crusta peripneumonicorum sanguinem tegente id notandum est, ejus seu præsentiam, seu absentiam diversissimis circumstantiis deberi, ut ergo *Baglivii* præsagium valde incertum sit. Multæ enim peripneumoniæ acutissimæ plurimos ægros occiderunt Hagæ Batavorum anno 1748. mense Martio, qui sanguinem fere totum coriaceum haberent, in ultima etiam venæ sectione. Quibus vero sanguis dissolutus vena secta prodibat, hi ut plurimum servabantur. a)

a) De Haen op. posth. T. I. p. 342.

Cura

Cura Peripneumoniæ.

Iis, quæ ad morbi caufas, characteres, decurfum atque varia ftadia, & infauftum prognofin fpectant, expofitis, ad peripneumoniæ curam progredimur, eamque ita explicabimus, ut fua cuique peripneumoniæ ftadio medendi methodus refpondeat; ex illis enim, quæ hactenus dicta fuerunt, fatis patet, generalem curæ methodum tradi non poffe, quæ in omni cafu fufficeret, cum adeo diverfis viis in fanitatem abeat hic morbus.

Cura levis peripneumoniæ. Cura catarrhorum.

Aphorismo 144. N. 1. ftatus leviffimæ peripneumoniæ notatur, quæ nempe *fuapte*, aut *levi apparatu* tollitur. Hæ vero plerumque non fub nomine peripneumoniæ veniunt, fed nomine vel fimplicis, vel febrilis *catarrhi* infigniuntur. Cum in curandis catarrhis, & a plebe, & non raro a medicis graves errores committi foleant, operæ pretium effe exiftimo morbum hunc accuratius perfequi.

Catarrhorum inflammatoriorum (nam de his hic tantum fermo eft, fæpe epidemica conftitutio obfervatur, tunc nempe, cum hyema-

malia tempora primo vere ſolvi incipiunt. Inflammatio enim, quæ per hyberna frigora dominabatur, molli nunc aura facta, pituitam nunc ſibi junctam habet; ut ea conſtitutio, quæ ex inflammatoria & pituitoſa febre quaſi coaluit, *catarrhalis* a *Grantio* a) dicatur. Ea durante conſtitutione Vir hic ſagaciſſimus quatuor morborum genera ſynchrona *Londini* obſervavit, quæ tamen ejusdem proſapiæ erant; ſcilicet tuſſes, rheumatismos, eryſipelata, alvi fluxus; quadraginta annorum ſpatium hosce morbos ſimul regnare vidit *Grantius*, atque perverſa medendi methodo unum morbum in alium transmutari. Omnes hi morbi inflammatoriæ indolis erant, ſede tantum, quorſum materies inflammatoria decubuit, diverſa. *Hippocrates* b) mentionem facit pulmonum eryſipelatis, cum ſputo tenui copioſo, in veram tandem peripneumoniam converſæ, & *Huxhamus* c) quoque horum morborum conſortium anno 1752 obſervavit: „ Tuſſes, catarrhi, rheumatismi, & defluxus menſe Novembri & Decembri valde erant conſueti; tuſſi imprimis catarrhali fere quilibet aliqua ratione perturbabatur; paucæ tamen tantum occurrebant peripneumoniæ, aut pleuritides; nihilominus phthyſi pulmo-

monali corripiebantur multi, & tabe moriebantur plurimi."

a) Grant von den Fiebern. S. 140.
b) Hipp. de morb. Sect. IV.
c) Huxham Op. T. III. p. 98.

Quanta pernicies a neglecta, aut etiam perversa catarrhi cura immineat, ipsum *Stollium* a) monentem audiamus. „Sub exitu mensis Februarii 1777 febris catarrhalis sæpius visa, & rarior pleuritis, nisi ipsam hanc febrim catarrhalem compellare pleuritidem velis, sed cicuratam, & acie refracta incursantem, quæve ægros obambulare permisit, & acuta pleuritide præcedentium septimanarum diuturnam magis. Febrim hanc catarrhalem antiphlogistica methodus sanavit, missiones sanguinis, & emollientia herbarum radicumve decocta, cum mitissimo nitri sale. Id generis catarrhosas febres temporibus phlogosi faventibus exortas, & hoc, & aliis annis non raro in immedicabilem pulmonum phthysin conversas vidi. Ejus rei rationem hanc deprehendi, quod multi in terris hisce ita opinentur, phlebotomiam catarrho nunquam convenire, neque disquirant, quænam illa catarrhi species sit, quæ id auxilium abhorreat,

quæ-

quæve e contrario expoſcat. Hi ſub eodem catarrhi vocabulo diverſiſſimos re iſpa morbos complectuntur, & eandem ſemper ægritudinem arbitrantur, cui phlebotomia ſemper etiam officiat. Catarrhi hac tempeſtate a phlogiſtica corporis totius, ſed præprimis pulmonum intemperie naſcebantur, erantque aut inflammatorii, aut ſubinflammatorii, eosque pleuritides, vel peripneumonias mirificatas rectius compelaſſes. Has utique miſſus ſemel iterumque ſanguis juvabat, & potio multa emolliens; nitroſa, & fracta tandem phlogoſi, aut tuſſi nihilominus ob conſuetudinem redeunte, narcoticum veſpertinum pulmones irritatos componens. Sed ipſa morbi fallax lenitas non paucis imponit, ut ab aëre frigidiore non caveant, e victu nil detrahant, carneo, vinoſo: morboque tam levi, quem etiam ob ſalubritatem quamdam imaginariam fauſte, fortunateque ſibi eventurum exiſtimant, ſatisfeciſſe ſibi male perſuadeant, ſi ſemel, bisve per diem vaſculi decocti cujusdam pectoralis hauſerint. Interim, etſi non magna, pulmonum inflammatio pernicioſos intus cuniculos agit, & pure clanculum nato, atque intra ſaccos concluſo pulmones ſubruit, ocyus, ſerius. "

a)

a) Stoll rat. medendi. T. II. p. 4.

Quatuor univerſim in catarrhorum curatione indicationes *Grantius* a) conſtituit. 1. Oportet inflammationem auferre. Conducet ergo ſummopere, ſi curetur, ut aër inſpiratus tepidus & humidus ſit, quo nil magis laxat. Unde muccinia aqua tepente madida, naribus ſupponere oportet, totamque atmosphæram, in qua æger decumbit ſimili halitu replere. Balnea vaporis pariter inferioribus corporis partibus applicantur, ut & aqua venis bibulis reſorpta, ſanguinem diluat, & laxatæ hæ partes majorem copiam humorum in ſe retineant; ſicque impetum & copiam humorum a pulmone, quantum fieri poterit, ſubducant. Dein ſerum lactis, hordei, avenæ, panis decocta, & ſimilia proderunt, quibus ſolis; cibi, potusque titulo aſſumptis, ſatis ſuſtineri poterunt vires, donec levioris inflammationis reſolutio facta ſit. Diluens vero etiam vehiculum requiritur; aquoſa hinc, imprimis farinoſis incoctis tali copia, ut nimio lentore obeſſe nequeant, nitroſa, mellita, ſapones nativi plantarum molles & blandi, & roob ſambuci, plerique officinales ſyrupi ſummi uſus ſunt. Simplex certe hordei decoctum cum nitro & oxymelle huic indica-

tio-

tioni ſufficit. Maximum autem, pulſu celeriori, duriuſculo, & paulo majori pectoris oppreſſione, in venæ ſectione habetur. 2. Materiam morbi attenuare, acremque involvere, cui indicationi victu præſertim vegetabili, ſubacido ſatisfit, additis illis, quæ junctæ, cognitaque acrimoniæ, e. g. bilioſæ, arthriticæ &c. peculiariter inimica ſunt. 3. Materiem morbificam tempore coctionis via maxime congrua educere. In eo maxime elaborandum eſſe *Grantius* monet, tum ob coctionis ſæpe difficultatem & tarditatem, tum ob acriorem ſæpe materiæ catarrhalis indolem, tum ob ipſum viſcus affectum, per quod aliqua ſemper materiæ copia eliminanda venit, haud omni morbido humore per alia corporis colatoria integre ſublato. 4. Robur tandem ſolidis partibus reſtituere.

a) Grantius *l.* c. p. 141.

Hiſtoriam morbi addere volui ex eodem Auctore, cum multa contineat, quibus methodus medendi catarrhis hucusque expoſita optime illuſtratur.

Hi-

Historia morbi.

Vir in ætatis flore constitutus, sanguinei temperamenti, coryza corripitur. Acris humore naribus stillans labium superius, ipsasque nares arodens. Secunda levis faucium inflammatio; cui tertia die irritamentum tussis gutturalis accessit. A perfrigerio ortum hunc morbum esse credebatur. Hinc per aliquot dies sudoriferis medicamentis utebatur æger, quin tamen victui consueto aliquid demeret. Sumpsit largam copiam mixturæ ex oleo oppresso & spiritu cornu cervi paratam; vesperi autem paregoricum. Tertia die, cum hoc remedio uteretur, nempe die morbi sexta ad ægrum vocabar. Fauces rubebant, ac si ab erysipelate affectæ essent; tumor modicus, at ardor & dolor ingens. Præ doloribus per internas fauces undique diffusis inspirationem inhibere cogebatur, præsente licet molestissimo ad tussim impedimento. In utroque thoracis latere ad costas spurias dolor rheumaticus, respirationem lædens. In humero & cervice postica vesiculæ quasi erysipelatosæ; alvus dysenterica, capitis tumor, anxietas. Pulsus mollis, parvus, haud celer, irregularis. Urina parca, crudoque nunc conspicuo sedimento ante aliquot dies rubel-

lo. Cutis arida, aridæque fauces; ſitis inexplebilis. Paucis: Eryſipelas, aut levis inflammatio cutis, pulmonum, inteſtinorum, cum rheumatismo. Putabam hanc humorum tenacitatem & acrimoniam ab impeditis ſe & excretionibus inductam membranam pituitariam narium inflammaſſe, atque malum hoc ab alcali volatili,& elixirio paregorio inſigniter fuiſſe exacerbatum. Reſpirationis difficultas, & inflammatoria pulmonum obſtructio pulſum mollem, parvum, irregularem efficiebant; atque diarrhæa illa tormina inter, & tenesmos ab eodem acri ſtimulo, quibus fauces & nares infeſtabantur, originem duxit.

Complicata hæc erat inflammatio, cum acri ſcilicet materie conjuncta; atque methodum medendi juxta illas indicationes, quas ſupra explicavi, inſtitui. Facta hinc larga venæ ſectio; clysma emolliens cum melle; infuſum ſeminum lini ſucco aurantiorum acidulatum; potus tepidus melliti, & vaporum tepidorum in fauces & nares attractio. Poſt aliquot horas tormina ſæviora, ab acidis & melle, ut adſtantes putabant; mellis itaque loco ſacharo utebar; ſucco tamen aurantiorum inſiſtebam, præſcripto ſimul purgante ex manna & tartaro ſolubili.

Se-

Septima morbi die mane, ſanguis e vena miſſus cruſta flaveſcente tecta conſpiciebatur, pauco ſero. Alvus noctu ſæpius mota, absque torminibus tamen, nullusque nunc inteſtinorum dolor. Pulſus plenior, magis evolutus, reſpiratio liberior; tuſis tamen moleſta, & dolor rheumaticus intenſior. Omnia hæc recte, ut mihi videbatur, ſalubrem purgantium uſum indicabant; tuſſis vero & doloris rheumatici augmentum a liberiori humorum motu oriebantur. Faucium quoque dolores mitiores evaſere. A meridie neque diarrhœa, neque dolores colici; urina copioſa, nondum tamen omnino cocta. Æger de tuſſi & dolore utriusque lateris vehementer conquerebatur. Repetita venæ ſectio. Uſus emollientium continuatus. Veſperi pulſus mollis, celer, æqualis; reſpiratio emendata, tuſſis tamen frequens. Fomenta thoraci impoſita; decocto emollienti parca quantitas ſyrupi diacodii addebatur, cum pauco melle & nitro. Cruſta major, craſſa magis; at plus ſeri.

Octava die mane ægrum inviſens, cum noctem dormiendo transegiſſe percepi. Nullus faucium aut pectoris dolor. Intenſior tamen utriusque lateris dolor, ab attactu ex-

terno auctus. Scarificatione in utroque latere instituta dolor vesperi mitigatus; pulsus minus celer, mollis, æqualis. Vesiculæ in colli externa plaga exsiccatæ, respiratio facilis; cutis non calida, attamen arida. Cum alvum nullam deposuit, enema applicatum.

Continuo horum remediorum apparatu usque ad 14 morbi dolores rheumatici tandem disparuere. Tussis tamen molesta, & sicca perstabat. Ictus arteriæ centum in uno minuto. Urina varia, sat copiosa, atque alvus fluens. Præscripsi emulsionem camphoratam cum spiritu mindereri & antimonio diaphoretico; potui ordinario major quantitas oxymellis addebatur.

Vigesima secunda morbi die sputum comparuit copiosum, pauco sanguine commixtum; ea sputa usque ad 24 diem majori semper copia prodiere. Ab emulsione camphorata æger tunc abstinebat, solum oxymelle usus. Enema, fonticuli in utroque brachio, victus mere vegetabilis. Hac methodo adjutus usque ad 42 morbi diem tussiebat, sputa ejiciebat, tandemque convaluit. Tussis sensim sine sensu fatisscebat, & 52 morbi die omnino disparuit. Tunc primum carnium usus concessus est, & rusticationem ægro suasi. Sanatus ita-

que

que æger eſt ſputis potiſſimum, quæ per 40 dies ferme durabant.

Cura inſtante critica evacuatione.

Omnis medici labor eo redit, ut naturæ vires medicatrices dirigat, nullisque remediis vehementioribus ſalutares hoſce conatus opprimat. Quid igitur faciendum ſit, ſi materia aut per ſputa, aut alvi fluxu, aut urinâ educitur, paucis exponam.

Dictum eſt ſuperius ſputis ſubinde pauculum ſanguinis miſceri; illudque fieri, non ob rupturam vel eroſionem vaſorum, ſed a mera tantum dilatatione extremorum finium arterioſorum qui in cava bronchiorum hiant; tuncque pulcherrimo cum ſucceſſu educi materiam obſtruentem. Omnia ergo eadem requiruntur, quæ in præcedentibus laudata fuerunt: per illa enim ſolvitur & mobilis redditur morbi materies, ſimulque expediuntur viæ, per quas exire debet. Decocta hinc emollientia, & leviſſime depurantia, omni ſcopo his ſatisfaciunt. Qales variæ parari poſſunt ex emollientibus & leniſſime aperientibus, una cum melle, ſyrupo quinque radicum, altheæ *Fernelii* &c. Molli victu vires ſu-

fuſtinetur facile, ſolumque lac, duplo vel triplo aquæ dilutum, hic ſufficeret; cum & hoc modo ſatis brevi tempore ſoleat finiri hic morbus, ſi non turbetur intempeſtivis remediis ſalubris hæc materiæ morboſæ per ſputa evacuatio. Dum enim minus periti medici ſputa hæc ſanguine tincta vident, vano metu perculſi peſſima quæque ominantur, & de periculoſa hæmoptyſi ſolliciti, venæ ſectione, adſtringentibus, incraſſantibus &c. tentant ſupprimere ſputorum evacuationem. Sæpe etiam adſtantium importuna ſollicitudo extorquet ſimilia a medicis, ſatis quidem peritis, neque tamen tanta adhuc pollentibus auctoritate, ut huic torrenti obſiſtere valeant absque famæ periculo. Si quid enim in ancipiti hoc morbo contingit ſiniſtri poſtea, in culpa habebitur medicus, ac ſi ægrum ſua neglexiſſet incuria. Decet tamen ingenuum firmo potius animo obluctari, quam ignaræ plebeculæ auram captare ægrotantium damno. Omnia illa, quæ purgando, ſudorem excitando, aliisve modis corpus turbant, vitanda pariter ſunt ob eandem rationem.

Alia iterum via eſt, per quam morbi materia in peripneumonia exit de corpore, alvi fluxus. Omnia eadem requiruntur, quæ in

præ-

præcedentibus laudata fuerunt, ad materiem morbosam solvendam & mobilem reddendam, atque vasa pulmonis expedientia, ut dimittere illa possint. Præter hæc vero & proderunt illa, quæ lubricant vias, versus quas natura materiam morbosam ducere molitur, & laxant vasa, per quæ transire debet. Clysmata hinc lenissima ex lacte mellito, decocto hordei cum syrupo altheæ & similibus, parata injiciantur, ut crassæ in intestinis ultimis hærentes fæces educantur, & lubricentur hæ viæ. Fomenta ex decoctis emollientium herbarum parata, pannis laneis excepta, calida abdomini applicantur, ut ducatur materia, quo sponte jam vergere incipit; cavendo sollicite, ne refrigescant hæc applicata, tunc enim nocerent. Decocta ex similibus parata exhibentur, addito melle, quod levi stimulo alvum solvit utcunque, simulque primas vias lubricat. Purgantium acriorum stimuli hic nocent potius, cum lenis tantum alvi solutio, non autem valida ejusdem perturbatio, hic requiratur.

Si autem materia per urinam evacuatur, omnia iterum eadem sunt; differt tantum locus, per quem excernitur morbi materia. Si urina crassa, stranguriosa, cum levamine pulmo-

monis fluere incipiat, novimus, naturam affectare hanc viam, ut corpus liberet. Similis ergo medela requiritur. Topica autem remedia nunc applicanda sunt renum regioni, fomenti vel & linimenti forma. Verum & clysmata emollientia hic egregie prosunt, dum intestina crassa his repleta renibus, quibus adjacent optimum fomentum præbent, uti postea adhuc pluribus patebit in Nephritidis historia. Simul etiam prodest usus talium decoctorum, quæ larga aquæ quantitate augent urinæ copiam, simulque leni stimulo diuretico gaudent.

In omnibus ergo his tantum est indaganda via, per quam expulsionem materiæ morbosæ naturæ molitur: ubi enim hac rite constitit, nulla amplius superest in cura difficultas, ut in sequenti axiomate docuit *Hippocrates*: dicens: *Quæ ducere oportet, ducenda sunt, quo maxime vergat natura, per loca conferentia.* a)

a) Hippocrat. Aphor. 21. Sect. I. Charter. T. IX. p. 38.

Cu-

Cura peripneumoniæ gravioris.

Haſtenus conſideravimus, quid agendum ſit, dum in benignam reſolutionem tendit peripneumonia; vel ubi materia morboſa ſoluluta, & mobilis reddita, inepta tamen, ut cum ſanis humoribus fluat abſque turbatione æquabilis circulationis, per ſputa, alvum, urinas exit de corpore. Sequitur jam, ut videamus, quænam requiruntur, dum idem morbus neque ſponte reſolvitur, neque ſigna tamen docent, mobilem redditam eſſe materiem, & ad exitum paratum. Adeſt inflammatio, quæ ergo omnes exitus inflammationis ſupra enumeratos habere poterit: cum autem in vitali viſcere hæreat malum, ſola illa curatio, quæ reſolvendo fit, optanda foret, cum periculoſa admodum hic ſuppuratio ſit, gangræna ſemper fere lethalis, criſeos erroneæ valde anceps eventus, & præter hæc omnia pulmonis ſumma ad vitam neceſſitas faciat, ut ingraveſcente morbo ſæpe ſuffocentur ægri, antequam inflammatio in ſuppurationem abire poſſit. Totus autem remediorum apparatus, quo peripneumoniæ medelam aggredimur, ſequentibus continetur.

Princeps remedium eſt venæ ſectio. Ea autem cito, & larga ad uncias X. XII. inſtituatur.

tur. Compefcetur fic per venæ fectionem nimia circulationis velocitas; minuetur moles liquidi movendi per pulmonem; tolletur crassior pars, rubra nempe; fimulque depletis vafis fpatium concedetur diluentibus, forma balnei, clysmatis, potus &c. affumendis. *Si enim a fanguine morbi caufæ provenerint, eas tollit venæ fectio. Si vero pituita feu fpuma, feu quævis alia humiditas tumefaciat, venarum inanitiones ampliorum pulmonis locum faciunt ad refpirationis tranfitum. a*)

a) Aræteus de curat. morb. acut. L. II. c. 1.

Neque tamen ad animi deliqnium usque fanguinem mittere oportet. Dum enim animi deliquium patiuntur ægri, ceffat cordis motus, atque omnia ftagnant in pulmonis vafis; fimulque frigore conftrictis partibus extremis venofus fanguis in finu venæ cavæ, dextra auricula, & cavo cordis dextri colligitur, ftagnans ad concretionem difponitur, imo fæpe jam floccos polypofos colligit; unde paulo poft, dum ex hoc deliquio refuscitantur homines, fanguis ille jam concrefcens fere per pulmonem, in plurimis locis obftructum, pelletur; adeoque patet, periculum

effe,

esse, ne inde morbus augeatur. Videmus enim homines, a quacunque causa in animi deliquium lapsos, dum reviviscunt, angi, suspiria ducere, & de pectoris oppressione conqueri, donec pulmonis & vasorum actione iterum divisæ fuerint, quæ jam adunari cœperant, sanguinis moleculæ; sicque restituatur liber sanguinis per vasa motus.

Nullum dierum definitum numerum, dari, ultra quem venam secare haud amplius liceat, supra indicatum est; hinc omni opera resolutio toto antiphlogistico apparatu tentanda est.

A prima venæ sectione magnum pectoris levamen ægri plerumque experiuntur; at post 4, 6 horas, brevi eadem vehementia morbus recrudescit. Vena tunc iterum secanda, etsi minori paulo copia sanguis educendus sit. Non autem eo usque sanguis mittendus est, donec nulla amplius crusta phlogistica compareat, sed thoracis libertas, ægrique vires medicum in sanguine mittendo optime dirigunt. Illustris *Tissot* a) in pulmonum inflammatione raro ad quartum usque venæ sectionem progrediebatur; imo pro pessimo omine *Stollius* habebat, si vel tertiam venæ sectionem haud magna & constans morbi

emen-

emendatio ſequeretur. Hanc de venæ ſectionis in pulmonum inflammationibus utilitatem *Huxhamus* egregie demonſtravit:

a) Tiſſot avis au peuple ch. 4.
b) Huxham opera, T. II. p. 775.

Cum omnis pulmonum inflammatio vel ægrotum, ob impetum ſanguinis per illos transgreſſum ſubito jugulet, vel ſuppuratione, gangræna aut ſcirrho terminetur, niſi cito materia obſtruens bene reſolvatur, aut coquatur; omnem adhibere debemus operam, ut juſtæ ſanguinis quantitatis detractatione, ut primum fieri poteſt, inflammationem diminuamus & auferamus; quando enim fortaſſe jam formatur abſceſſus, tunc ſanguinis nullam affert utilitatem detractio. — — Quid quod ſi phlegmone jam longius eſt progresſa, quam ut reſolvi poſſit, ſanguinis ſane emiſſio nocet, cum operationem naturæ ſe a materia obſtruente laudabili ſuppuratione liberandi, retardet: tali enim ratione, ut diutius ſtagnet materia & magis magisque reddatur acris, efficitur; quæ tandem partes vicinas afficiens multo majorem excitat abſceſſum, quam antea factum fuiſſet, ſi natura

pro-

propriis ſuis moliminibus eſſet relicta: imo interdum evidenti gangræna & interdum pertinaci ſcirrho finitur, qui brevi, quod ſupereſt, vitæ ſpatium reddit miſerrimum.

Sanguinis in vera peripneumonia detractionem poſt quartum vel quintum diem parum ad ſuppurationem avertendam, conferre, generatim annotaverunt medici. Omnis enim plhegmone eo tempore ſuppurare incipit, niſi antea ſit reſoluta: hoc imprimis eo magis & citius talibus partibus, quales ſunt pulmones, eveniet, qui ab omni latere calore humido teguntur, & proprius abſunt a corde, quod vim ſuam perpetuo & fortiter in inflammatoriam obſtructionem exſerit. — Ita ut, ſi ſymptomata peripneumonica magna cum violentia per quatuor, quinque aut plures ſubſequentes dies perdurant, abſceſſus aut plenaria deſtructio recte metuantur, parumque utilitatis a ſanguinis detractione continuata ſit ſperandum.

At enim vero, ſi dolor, qui per ſatis longum temporis ſpatium ceſſavit, cum violentia redit, aut aliam pectoris partem afficit, hoc inflammationis denuo excitatæ eſt indicium; quæ non minus, quam in priori, licet non tanto in gradu ſanguinis poſcit de-

tract-

tractionem: nam hic impetus accessorius ejusdem omnino indolis & in eodem est organo, ut prior indeque eandem methodum, ejus progressum & mala avertendi majora, requirit. Ægroti vires, & pulsus, doloris violentia & spirandi difficultas sunt præcipua, quæ quantitatem determinare debent, sic quoque sanguinis color & habitus atque seri quantitas & qualitas sunt considerandæ. Ego quidem interdum die a primo morbi impetu nono vel decimo sanguinem emittere jussi, & hunc tam viscidum, quam illum secundo aut tertio die emissum inveni, idque eo magis, si lanceola non timide demittebatur; sed crassamentum, licet tenacitate sua excederet, multum tamen in comparatione seri erat diminutum.

Exscretionem antea quidem liberam & copiosam, ut primum alter iste impetus & dolor cum aliqua violentia accedit, prorsus cessare vel maxima cum difficultate peragi, plerumque observatur; dum doloris violentia, ut satis juste expandatur thorax & pulmonum, pectoris & abdominis musculi tanta vi, quanta ad materiam ejiciendam requiritur, agant, non permittat: haud mentionem faciam, inflammatione justam muci lubricantis impediri

se-

fecretionem, quæ naturaliter ad inungendam tracheæ bronchiorumque membranam internam & ad evacuationem materiæ cujuscunque in eis contentæ juvandam fecerni debet. — Atque inflammatione fanguinis detractione remota excretionem redire facilem & liberam, reipfa deprehenditur.

Igitur, licet in peripneumonia & pleuro peripneumonia noftrum in primis fit, fanguinis detractione ante diem quintum efficere evacuationem; novo tamen violenti doloris fpirandi difficultatis & fuppreffæ exfcreationis in impetu iterum haud fecus ac in novo morbo a) maxima vero cum cautione & temperantia incipere debemus, cum omnis recidiva his præcipue in cafibus fit periculofa, ægrotus quotidie magis debilitetur & eo minus ullam fanguinis infignem perferre valeat evacuationem. Hanc quoque ob rationem, quocunque leni dolore accedente ad fanguinis detractionem confugere, minus prudenter agitur: dolor enim major vel minor fæpius febre prorfus ceffante fpeciatim poft pleuropneumoniam per longum temporis fpatium, continuat: *debet prius ceffare febris, & poftea dolor affecti lateris*, ait *Baglivius*. b) — Sanguinis autem detractio in primis minus

con-

convenit, quando copiosa laudabilis materiæ expectoratio satis facile procedit, etsi ista sanguine leviter tincta semper continuare debet; cujus rationem supra indicavi; scilicet, resolutionem & coctionem materiæ inflammationis novæ indicat. Imo eandem ob rationem cavendum est, ne materia ista sanguine leviter tincta cohibeatur, licet sæpe imprudenter præscribantur, & inepte adhibeantur adstringentia: ast hoc efficiunt ii, qui parum ad naturæ operationes & multo minus ad *Hippocratem* magnum ejus interpretem, attenderunt. — Dubio procul magis convenit, ut dolor & tussis importunitas lenioribus opiatis, temperantibus; mollientibus, demulcentibus & leniter expectorantibus subleventur.

a) Hippocrates Anaxioni die octavo sanguinem detrahebat, quoniam dolor perdurabat. *Lib.* III. Epidem.

b) Baglivii opera. de pleuritide.

Alterum, quod in pneumonide plurimum valet, præsidium, vapores sunt emollientes balnei forma tum ad pulmones, tum ad reliquum etiam corpus applicandi. Laxantur enim per balnea vaporis pulmonis vasa,

ut

ut facilius transmittere possint humores. Dumque toti corpori similia applicantur, flaccescunt omnes partes, & majorem copiam humorum retinent, quod hic requiritur. Praeterea sanus etiam & robustus homo continua balnei vapporis applicatione sic debilitari poterit, ut langueat totus; adeoque poterunt in hoc morbo per eodem pro lubitu vires vitæ sic minui, ut nullum periculum sit, ne immeabilis sanguis profundius in vasorum pulmonalium angustias adigatur, quod multum ad curationem facit. Simul etiam aqua eodem tempore se venis bibulis cutis insinuat, sicque optime diluitur sanguis. Optime autem illi vapores hauriuntur ab ægris ope infundibuli, cujus ampla pars calido cuidam decocto ex herbis emollientibus imponitur, angustior vero ore ægri tenetur; nam eo modo longiori etiam temporis spatio hoc balneo, sine ullo incommodo, ægri possunt uti. Subinde, si sputorum nimia sit tenacitas, & ægri suffocationi proximi sint, acetum aquæ calidæ vaporibus miscetur, quo remedio plures ex orci faucibus liberatos fuisse *Tissotus* asserit.

a) Tissot l. c.

Pôtus fit maxime *emolliens*, tepidus, cum melle, & pauco nitro, assidue hauriendus. Parva autem copia simul sumuntur, ne largiori haustu distentus ventriculus anxietatem augeat; neque subito ingestis his, aucta humorum copia, nimis gravetur infarctus pulmo. Frequens autem similium assumptio facile compensabit quantitatis defectum. Calide autem sorbentur, quia per calorem augetur vis diluens aquæ, simulque eadem opera, dum per œsophagum transeunt, blando calore foventur vicinæ partes.

Opium vero, & omnia narcotica noxia sunt in peripneumonia, monente *Huxhamo* a) „ Ego vero largas opiatorum doses prorsus improbo, cum sæpissime eorum imprudentem usum in tali rerum ratione magnam orthopneam, & terribilia attulisse symptomata cognoverim; etenim sanguis extra vasa hærens aliquando exscreari debet, aut nunquam convalescit æger; quod vero sine majori; vel minori tussi, qua is evocatur, fieri nequit. — Post talem peripneumoniæ speciem admodum insignia accessisse apostemata, aliquoties vidi, ubi per plures dies, imo per plures hebdomades febri supervixit æger. „ Lenissima tamen anodyna, v. g. flores papaveris rhæa-

dos,

dos, vel ſyrupus ex horum ſucco paratus concedi poſſunt.

a) Huxham. Op. T. II. p. 188.

Multum etiam ad ſanationem contribuunt *clysmata*; nihil enim urinam & alvum magis efficaciter promovet, quam clysmata emollientia, laxativa, cum ea fomenti ſpecies & omnibus abdominis partibus lene ſint ſtimulans, atque non urinam ſolum & alvum, ſed flatus quoque evacuarent, quibus ſæpe abdomen & diaphragma diſtendentibus reſpiratio redditur difficilior. Sufficiet autem blandiſſimorum antiphlogiſticorum uſus, e. g. mellis unciæ binæ, cum nitri media drachma, & decem unciis decocti hordei; cum indicatio curatoria non requirat, ut per alvum ſubducantur liquida, ſed potius ut per omnes corporis vias talia ſubminiſtrentur ſanguini, quæ illum diluere, & inflammatoriam ſpiſſitudinem reſolvere valent.

Interim omni cura, ait *Huxhamus* a), in id incumbendum eſt, ne profuſior excitetur diarrhæa, quæ ſine eo, ut morbum levet, exſcreationem ſupprimet, atque hoc reſpectu malum eſt ſymptoma, quando id pleuri-

tide & peripneumonia affectis contingit; quoniam, si magnus humorum defluxus adest versus inferiora, superiora fiunt arida, sputum cessat, & moritur æger; ita ut alvus non nimis adstricta sit, quod febrim augebit, neque nimis laxa, ne sputum & vires ægroti deficiant. „

a) Huxham l. c. p. 196.

Victus tandem mere sit *vegetabilis.* Lentioris enim, vel copiosioris chyli molestiam pulmo illico sentit, etiam sanus; longe magis ergo, si morbus fuerit. Decoctum oryzæ, hordei, avenæ, panis, cum melle, roob sambuci & similibus omni scopo hic satisfacit. Radicum scorzoneræ, tragopoconis &c. decocta similem usum præstant. Leve autem, & dilutum nutrimentum in hoc casu sufficit; cum morbus, si hoc modo sanari possit, nunquam in longum tempus excurrat.

Quamdiu itaque, ait *Tissotus* a) morbus aut augetur, aut in eodem statu permaneat, in usu horum remediorum pergendum est; si autem tertia, (quod raro contingit,) quarta, aut quinta die aliqua morbi emendatio, febris remissior, tussis minus vehemens, sputa

pau-

pauciori ſanguine mixta, reſpiratio liberior, lingua humidior, urina minus rubra & copioſior, ſolum tunc antiphlogiſticum regimen, dato omni veſperi enemate, morbi curam abſolvunt.

a) Tiſſot, l. c.

Methodus medendi in ſtadio ſuppuratorio.

Ad illud nunc morbi ſtadium pervenimus, quod *ſuppuratorium* vocatur. Videndum itaque eſt, quid agendum medico ſit, ſi ſuppurationem aut imminere, aut jam fieri, aut pus omnino jam collectum, concluſumque in ſacco, ex certis ſignis videat. Nam alia inſtante ſuppuratione, alia pure jam collecto, morbi medela requiritur.

Sola illa curatio peripneumoniæ, quæ fit per reſolutionem, aut citam excretionem materiæ morboſæ ſolutæ & mobilis redditæ, tuta eſt. Verum non ſemper illa obtineri poterit, ſive non ſatis cito idonea medela adhibita fuerit, ſive ex ſua indole, pertinacior morbus obſtiterit. Inter reliquos autem inflammationis exitus, optimus ille eſt, qui in ſuppurationem tendit. Quænam ſigna ſint pe-

peripneumoniæ in ſuppurationem vergentis in præcedentibus explicatum atque demonſtratum fuit: reſolutionem expectari non poſſe, ſi ad plures usque dies febris & reliqua ſymptomata, valida permanſerint. Licet autem benigna ſuppuratio in alliis corporis locis, ad quæ manibus acceſſus datur plerumque ſatis commode curari poſſit; in vitali tamen hoc viſcere nata vomica purulenta ſemper multum diſcriminis habebit; cum rupta talis vomica in pectoris cavum pus effundere poſſit, & empyema lethale facere, vel totam ſanguinis maſſam purulenta cacochymia ſic inficere, ut funeſta ſequatur phthyſis. Nec minus periculum imminet, ne abſceſſus mole quotidie auctus, vicina vaſa adhuc libera comprimens ſuffocet ægrum, antequam maturatio perfecta, & maturi abſceſſus ruptura fiat. Omni ergo ope nitendum eſt, ut quam ocyſſime fiat maturatio; & deinde maturatione facta collectum pus citiſſime educatur. Quænam autem in hoc caſu obſervanda ſunt, ex ſequentibus patebit.

1.) Ubi de abſceſſu agebatur, conſtitit, ad maturationem crudi inflammatorii conducere paulo majorem motum & in parte affecta & in toto corpore, tali moderamine tamen

men, ut nec nimis citātus motus ſubito rumpat vaſcula tenerrima, ſicque gangrænam loco ſuppurationis producat; neque nimis torpens non valeat ſeparare extremos vaſculorum inflammatorum fines, & in bonum pus cum humoribus effuſis convertere. Non ergo conducit in hoc morbi ſtadio ſanguinis miſſio cum vires debilitet, adeoque maturationem retardet. Si autem ſumma pectoris oppreſſio illam etiam hoc tempore poſcere videtur, vel nimis impetuoſa febris compeſci debet, parca ſufficiet, & tali tantum copia, quæ levandis ſymptomatibus & juſto febris moderamini ſatis eſt, non ultra.

2.) Loco externo corporis ſuppurando applicantur molliſſima cataplasmata ex farinoſis & emollientibus herbis parata, ut cito fiat maturatio. Ob hanc cauſam opportet curare, ut alimenta talia ingerantur, quæ ſimiles dotes habent, ut chylus inde paratus, ad pulmonem delatus, emolliente & maturante vi præditus, ſuppurationem promoveat. Verum quidem eſt, lentiorem utcunque ex talibus parari chylum, adeoque periculum fore, ne inde augeantur pulmonis anguſtiæ: tali autem cum cautela hæc danda ſunt, ut nec nimis glutinoſa ſint, neque nimia copia ſimul ſum-

pta

pta pulmonem gravare possint. Ob hanc rem *Hippocrates* a) quarto, quinto & sexto die sorbitiones pingues commendat, quia ad sputum per superiora exscreandum conferunt. Sorbitiones multas, ptisanæ cremorem coctum cum melle, aquam mulsam &c. laudabat alibi. b)

a) De morbis. Lib. III. cap. 14. Charter. Tom VII. pap. 580.

b) De affectionibus. Cap. 4. ib. p. 641.

3.) Puri, dum maturus abscessus erit, conciliari debebit exitus, & quidem quam citissime, ne mora acrius factum erodat teneram pulmonis fabricam. Sola autem hæc via tuta erit, per quam in cava aërea pulmonis pus erumpit, cum aliter in cavum thoracis, vel mediastini dilatata vacua decidet, lethali fere semper cum eventu. Oportebit ergo statim ac signa suppurationis inceptæ apparent, balneo vaporis, una cum aëre inspirato hausto, sic emollire totam aéream pulmonis superficiem, ut liberrime huc versus ire possit collectum pus; simulque eadem opera efficitur, ut citius & facilius rumpi possit membrana pus factum contines. Solius aquæ calentis vapor hic sufficit, emollientium enim herbarum efficacia non consistit in volatili adeo

par-

parte, ut una cum hoc vapore ascendere possit, unde ab illis non multum boni exspectatur, licet tamen sæpe illis utantur medici, ne remedii simplicitas ægris & adstantibus contemptum pariat.

Cum autem pus jam collectum esse intelligitur; duplex habetur indicatio: *prima*, id efficiendum est a medico, ut abscessus in bronchiorum cava rumpatur; altera, ut pure educto ulcus consolidetur.

Primæ indicatione satisfit, si in usu remediorum, quæ paulo ante indicata sunt, pergimus, atque simul arte excitatur tussis, ut sic agitato pulmone rumpatur abscessus. Oxymel itaque calidum sumatur vel solum vel decocto emolliente dilutum, uti etiam vinum calidum tussim excitare solet, plerumque satis validam, qua concussus pulmo sæpe sic agitatur, ut crepet vomica, & collectum pus per sputa repurgetur. Non tamen semper hoc succedit illo tempore. Nisi enim cito maturatio facta fuerit, & materies maturanda hæserit in tali pulmonis loco, ut facillime in bronchia exire possit, longior temporis mora intercurrit, antequam rumpatur abscessus. Convenit interim omni artis molimine promovere crudi inflammatorii maturationem,

&

& maturi evacuationem, aliter enim justus metus est, ne natus abscessus collecto pure tumens vicina vasa comprimat, sicque novam inflammationem producat, quæ pariter suppurata novum abscessum faciet.

Acceleratur autem sacci purulenti ruptura omni motu corporis vehementiori, curru, navi; risu etiam ruptas novimus vomicas. At vomitorio veterum more, & ex præscriptis ipsius Hippocratis, tanquam remedio maxime infido, haud utendum esse existimo.

Rupta tandem felici eventu vomica in cava asperæ arteriæ, atque pure libere per sputu evacuato, cavendum ne æger phthysicus pereat. Convenit tunc hordei & oryzæ decoctum cum lacte; decoctum salap; diæta vegetabilis, aut sola, aut si febris absit, cum lacticiniis. Absint vulneraria, balsama, cortex peruvianus, polygala, lichen, myrrha &c. ne nova in viciniis inflammatio oriatur. Nec valde prosunt herbæ vulnerariæ, salvia, hyssopus, erysimum, fœniculum, chamædrys &c. Quies, non equitatio. Opium *caute* dandum; nisi enim febris desit, aut quietem non arcessit, neque tussim componit; aut etsi id faciat, inflammationem, sudores nocturnos

nos auget. Præstat emulsum ex seminibus papaveris albi cum syrupo diacodii. Scopo palliante in consummata phthysi subinde dandum opium miserrimum levamen.

Notatu dignam historiam vomicæ ex neglecta peripneumonia ortam, ex *Huxhamo* a) adduxisse juvat:

a) Tom. II. p. 122.

Historia morbi.

Circa diem nativitatis Christi anni 1728 vir quidam nobilis D. T. II. honestus & sobrius, quadraginta circiter annos natus, corporis quidem habitu tenui, sed vivido agilique, dolore in dextro latere afficiebatur & paululum febricitabat; adeo tenuis erat dolor, ut ne domi quidem se teneret. Nihilominus sanguine detracto pauca quædam a suo chirurgo data sumebat. — Dum vero de die in diem dolor increfceret, tribus septimanis vel mense uno post primum impetum me consulebat — ego vero illum hectico calore, tussis brevi & spirandi difficultate, a dolore lateris, ut ipse affirmabat, tantum excitata, laborantem deprehendebam: quod interdum sanguine nunc leviter erat tin-

ctum.

ctum. — Ut sanguis detraheretur & mixturam oleosam exscreantem lac ammoniacum, oxymel squilliticum, salinas potiones & decocta sumeret pectoralia jubebam, atque ipsi regimen refrigerans ac diluens præscribebam. Quibus auxiliis paucis diebus post largam purulentæ, cruentæ & fœtidæ materiæ, ex lobi pulmonum sinistri vomica provenientis copiam exscreare incipiebat; nam ægritudinem ibidem sentiebat atque ex loco quo eam sterni lateris sinistri & quidem versus thoracis fundum provenire materiam ajebat. — Tandem parum valde neque fœtidum neque cruentum exscreabat; tussis quotidie imminuebatur, neque ullum pondus insigne in ejus pectore remanebat: decoctum quoque pectorale balsamicum ex cortice peruviano calorem ejus & sudores auferebat; ita ut spe fretus valetudinis ejus recuperationem propius abesse crederem. — Omnibus autem his exoptatis symptomatibus irritis dolor lateris dexti perpetuo continuabat, & isto quidem in loco, quem primum occupaverat; quid? quod subita tanta violentia increscebat, ut quoque sanguinis detractionem iterum iterumque repetitam necessariam esse, putarem: sic quoque fomenta emollientia atque anodynum emplastrum

ex

ex opio, camphora & emplaſtro e cymino applicare jubebam: atque, cum hæc nullum afferent levamen, parti ipſi ſcarificatæ imponebam cucurbitulas. — Oleum autem & opera erant perdita, dolor enim quotidie augebatur, neque ulla res, præter opiata repetita levamen ullum aut ſomnum afferebat. — Tandem pars ipſa magnopere intumeſcebat, & ſigna formati abſceſſus evidenter apparebant, in quo ea propter qualibet methodo convenienti promovendo, operam ponebam. Paucis diebus poſt ex illo a chirurgo inciſo ingens purulentæ materiæ effluebat copia, ita ut aliquam ejus partem ex cavitate thoracis ipſius provenire exiſtimaremus. Facta uberiore exploratione duæ coſtæ exeſæ atque nigræ ac duo loci penetrantes, alter inter quintam & ſextam coſtarum verarum (quæ carioſæ eranr) & alter inter quartam & quintam ab inferioribus numerando, deprehendebantur. — Tandem ſumme debilitatus & febre hectica emaciatus vivis intereſſe deſinebat die 29 Martii 1729.

Corpore examinato muſculi quidam intercoſtales, ſerrati antici majoris aliqua & obliqui deſcendentis ſuprema pars apparebant nigræ & ſphacelo infectæ & apoſtema ipſum

usque ad dorsi fere spinam extendebatur: pleuræ pars inferior prorsus nigra & eo in loco lividum erat diaphragma. Apertura superior penetrabat usque in dextrum pulmonum lobum, ubi partium vicinarum insigne spatium in pus erat conversum. — In lobo sinistro callositatis satis late extensæ occurrebat species, ubi probabiliter hærebat vomica; ac a vertebris proprius insignis tumor ovo gallinæ turcicæ major & aliquo modo jam suppurans deprehendebatur: quædam alia quoque minora aderant tubercula, quorum alia duriora & fere lapidea, alia suppurantis pure erant repleta. — Pulmonum lobus uterque maxime morbosus & quibusdam in locis omnino apparebat lividus. — Uterque plurimis in locis pleuræ firmiter adhærebat, aliæ harum adhæsionum erant satis largiter extensæ, aliæ specie ligamenti fibrosi efficiebantur. — Thoracis in cavitate dextra circiter mensura dimidia materiæ valde fœtida & obscurioris caloris inveniebatur.

Nobilis hujus viri pulmones probabiliter obstructione quadam antea erant affecti, quam dolor in ejus latere accedebat, quod interdum tussi sicca brevi esset obnoxius: humores vero acres in costas & musculos intercostales

ir-

irruentes liberamque respirationem impedientes, non parum ad ejus pulmonum obstructionem atque suppurationem contulisse, persuasum habeo; & quoniam tali rerum ratione justa thoracis expansio impediebatur, pulmonum ad minimum augeri poterat cum pleura cohæsio.

Methodus medendi imminente metastasi.

Cum de vario peripneumoniæ exitu in præcedentibus sermo fuerat, dictum est, triplex metastaseos genus dari, qua materia morbifica e corpore eliminatur.

Si itaque materia inflammatoria mobili effecta, pulmones deserente, vagante per corpus, inferiora fovenda, urinæ & alvus aperiendæ, huc determinanda materies, & observandum, num alicubi functio lædatur, aut dolor oriatur, & ibi figatur materies. Si ad crura materiam verti signa adsint, primo omnia ea adhibentur, quæ in præcedentibus enumerata fuere; deinde locus futuri abscessus sic disponitur, ut vasa laxata facilius admittere possint huc versus deponendam morbi materiem; simulque curatur, ut levi irritatione per frictiones, stimulantia, cucurbitas.

tas, impetus vitalis motus magis agat in eundem locum. Monuit *Hippocrates* a): *Quibus ex morbis resurgentibus aliquid doluerit, illic abscessus oriuntur*; deinde sequenti aphorismo addit: *sed & si aliquid ante morbum doluerit, illic morbus insidet.* Quotidiana in praxi observata veritatem dictorum probant. Ita hominibus, qui diu ulcera crurum passi fuerunt (familiare in scorbuto inveterato malum), si quodam morbo acuto corripiuntur, recrudescere hæc ulcera solent, cum præsentaneo morbi etiam periculosi levamine. Naturæ ergo ductum sequimur, dum per epispastica, cucurbitas &c. efficimus, ut doleant illæ partes, versus quas minimo cum discrimine morbosa materia deponi potest.

a) Hippocr. aphor. 32. Sect. IV.

Eandem medendi methodum *Huxhamus* comendat, atque simul gravem de vesicatoriorum usu cautelam addit a): „Interdum ad partes inferiores critice transfertur materies morbosa, phlegmonem, abscessus, erysipelatosos, vel œdematosos tumores, ulcera, cæteraque excitans; in primis in hominibus olim inflatis, aut ulceratis cruribus affectis, de quibus in fine morborum peripneumonicorum

ma-

maximo cum pectoris levamine intumescere iterum, sæpiusque exulcerari notum est. Pulmones subito affici, si ulcera in pedibus sicca fiunt, res est satis cognita; sic quoque hydropici harum partium tumores tibialibus interstrictis, fasciis cæterisque repressi statim affectus producunt asthmaticos: quæ cuncta consensum istum naturalem pectus inter, & partes inferiores, atque mutuo morbis affici posse, satis probant. — Qua de re in morbis severis pulmonum, ut humores balneis tepidis, vesicatoriis, cæterisque ad pedes deriventur, rationi consentaneum esse videtur, & re ipsa profecto hoc bono cum successu fuit adhibitum. — Quam crebro podagræ ad pulmones metastasin acrioribus applicatis cataplasmatibus, revulsione ad pedes facta, subito fuisse relevatam, deprehendimus? ubi periculum imminet magnum, omnia sunt tentanda. Quando vesicatoria pedibus in pulmonum morbis applicata, severius suppurant, plerumque magnum afferunt levamen; sæpe vero sanantur difficillime. Quod imprimis annis 1740. 1741 - 1746 - 1747, notatu erat dignum. Ego vero tunc, si vesicatoriorum exulceratorum subito supprimebatur evacuatio, non tussim solum atque spirandi difficultatem revertisse,

ſed quoque interdum inſignes alvi dejectiones, & interdum profuſiores mox acceſſiſſe ſudores, obſervavi: ita ut non paucis in caſibus vel dolore & ingenti veſicatorium evacuatione proſterneretur, vel diarrhæa aut ſudore colliquativo deperderetur æger: quam ſcenam mortiferam frequenter terminabant aphthæ terribiles. — Quæ probabiliter ab acrimonia lymphæ & ſeri oriebantur majori, quæ febre prægreſſa quaſi in gelatinam mutata & nunc diſſoluta in putridi ichoris ſpeciem convertebantur, (quando enim ſerum calore concreſcit ſtatus ejus proximus eſt liquamen putridum, vel diſſolutio:) neque hoc tandem dejectionibus, ſudoribus profuſioribus eliminatur, ſed & aliis viis pari ratione ſibi exitum parat, prouti id fieri ſolet urina impura, acri, turbida, eruptionibus puſtularum, tumoribus vehementiſſime dolentibus, veſicis aqueis excruciantibus & corrodentibus variis corporis in partibus, quales ſunt axillæ, brachia, dorſum, pectus cæteraque. — Ex hujus generis obſervationibus veteres, (qui ſemper ſollicite in id incumbebant, ut naturam ſequerentur, ejusque conaminibus ſuccurrerent) acria epithemata, ut ſal, ſinapi, cæteraque pectori, dorſo & axillis in pulmonum

num affectibus applicasse videntur. — Magnum inter pulmones & cutim intercedere consensum res est verissima, prouti ex scabie, variolis, morbillis cæterisque retropressis manifestum est, quæ statim pectus affligunt. — Quam ob rem convenienti sanguinis copia detracta his partibus vesicatoria in primis versus febrium peripneumonicarum declinationem applicare, methodus medendi videtur esse rationalis. „

a) Huxham Opera T. II. p. 297.

Eadem ferme remedia applicanda sunt, emollientissima nempe, si a transpositione materiæ morbificæ parotidum tumores oriuntur.

Si vero vel neglecta applicatione derivantium & attrahentium ad parotides, & crura, vel iisdem frustra adhibitis signa docuerint, ad hepar verti materiem morbi, atque in hoc viscere colligi, tunc primo ea remedia adhibenda sunt, quibus pulmo levatur, vires firmantur, & materies morbi quam maxime soluta & mobilis redditur. Cum autem non careat periculo hæc metastasis, & jure metuatur, ne abscessus in hepate natus pessimos morbos chronicos faciat, conducit simul & illa facere, quæ paulo ante de absces-

ſu ad crura & parotides dicta fuere; hac ſpe, ut forte incipiens colligi in hepate morbi materies, nondum tamen ibi fixata omnino, ad alia corporis loca, minus periculoſa deduci poſſet. Simul autem adhibentur talia remedia, quæ admodum ſolvente vi prædita collectam in hepate materiem attenuare valeant, ut vel ad alia loca deponatur meliori metaſtaſi, vel per ductum hepaticum ad inteſtina delata cito expellatur per alvum; ne manens in hoc viſcere, & acrior reddita, teneram & friabilem ejus ſubſtantiam deſtruat. Decocta ergo meraca taraxaci, cichorei, graminis, fumariæ &c. cum melle potentur larga copia. Fomentis ex ſimilibus paratis obvolvantur hypochondria. Clysmata ex iisdem facta injiciantur frequenter & retineantur diu, hac ſpe, ut reſorpta venularum meſeraicarum oſculis, in inteſtina patentibns, directe & integris ſuis viribus ad hepar veniant. Simul etiam per eadem ſic laxantur inteſtina, & illorum vaſa omnia, ut facilis & expedita via fiat materiæ morbi, dum ex hepate verſus alvum ruit.

Cri-

Crisis erroneæ effectus incurabilis.

Vix ullam medellam admittunt eæ in pulmonibus mutationes, quæ ab effusione lymphæ coagulabilis oriuntur; nam præterquam quod subita transfusio lymphæ phlogisticæ in asperam arteriam ægrum plerumque suffocet, eaque transsudatio neque certo prævideri, neque etiam prævisa præverti possit, alias etiam criseos hujusce erroneæ modus, cum vel in ipsam pulmonis substantiam hæc mataries transprimitur, magnam granulorum induratorum congeriem efficiens, vel in cavum thoracis effusa in pseudomembranas coalescit, quibus pulmo pleuræ adligatur, ad omnia ferme remedia rebellis permanet. Tuberculosa pulmonum labes ad novas itentidem peripneumonias hominem prædisponit; pleuræ ad pulmones adhæsio sæpius quidem innoxie per totam vitam ab ægris fertur, nonnunquam tamen magna inde respirationis incommoda oriuntur. Solventissima remedia, uti gramen, ejus saturissimum decoctum, extractum nil efficit; nec sapo venetus, nec alii sapones. Indissolubilis enim est hæc cohæsio granulorum. Si pleuræ cohœreat pulmo, tempore, motu multo assuefiet æger; elongantur enim sensim cohœsiones.

Gangrænæ nulla medella.

Si mali vehementia eo increvit, ut visceris hujus nobilissimi gangræna accedat, nulla arte æger servari potest. Anxietas ingens, summus virium vitalium languor, frequens animi deliquium, extremitatum frigus, tenuia, ex atro flavescentia, fœtidissima sputa, maculæque subinde circa pectus nigræ, funestum hunc morbi statum significant.

Sputa suppressa.

Absoluta jam foret curatio peripneumoniæ consideratis omnibus, quæ agenda sunt, prout vario exitu terminatur hic morbus, vel diversis viis de corpore eliminatur morbi materia. Verum adhuc debebant expendi illa, quæ fieri oportet, dum peripneumonia, per sputa jam expurgari cœpta, incipit illa suppressa habere. Quanti momenti sit sputorum in hoc morbo excretio, & quam pulchre per illa eliminari possit morbi materies, antea vidimus: unde simul patet summa necessitas, ut omni molimine redintegretur evacuatio sputi, si suppressum illud fuerit. Simul conducet summopere, ut cognoscantur illæ causæ, a quibus sputa supprimi quandoque do-

docuit obſervatio; ut nempe vitari poſſent, cum nondum adſunt; & tolli vel emendari, dum jam præſentes inveniuntur.

Magnum frigus ſubito admiſſum. Quanti uſus ſit humidus aëris inſpirati tepor in hujus morbi cura, jam ſæpius dictum fuit, dum ſic laxantur vaſa, ut transmittere posſint; ſimulque quam optime diſponuntur fluida, ut transire per vaſorum ultimas anguſtias valeant. Inter cauſas peripneumoniæ aëris frigus numeratum fuit: conſtat enim, aërem gelidum pulmonem ſiccare, ſtringere, imo & ipſum ſanguinem per vaſa pulmonalia motum, & nudo fere aëri expoſitum, coagulare. Unde patet, ab eadem cauſa morbum jam preſentem debere augeri & contractis vaſis excernentibus, ſputa ſupprimi. Dum gelidum potum affatim bibunt tales ægri, aut imprudenter frigidiſſimus aër hyemali tempore admittitur ſubito in conclave, ubi decumbunt, ſputorum periculoſa ſuppreſſio ab hac cauſa naſci ſolet.

Exſiccatio undecunque nata. Dum nimium frigus, hic noxium, vitare volebant quidem, in alterum extremum inciderunt, nimia calefactione loci, in quo decumbunt ægri. Notum eſt, ſaniſſimos homines, æſtuante in aëre ver-

verſatos, ſicciſſimam habere oris interni, narium, aſperæ arteriæ, & pulmonis ipſius omnem ſuperficiem, ſic ut vix loqui aut deglutire valeant ob partium exſiccationem. Non mirum ergo & idem ab eadem cauſa in ægris fieri. Cavetur facile exſiccatio ab hac cauſa, ſi juſta caloris temperies ſervetur (quod thermometrum optime indicat) ſimulque aëris tepori jungatur humiditas; quod facile obtinetur, ſi aquoſis exhalationibus repleatur aër, quem ægri inſpirant.

Febris calida ſuperveniens &c. Notatum fuit, facilem illum peripneumoniæ exitum, quo in ſanitatem terminatur per benignam reſolutionem, vel ſalubrem evacuationem materiæ morboſæ per ſputa &c. tunc tantum locum habere, dum febris mitis eſt, & boni moris. Si ergo inceptæ tali excretioni ſuperveniat febris calida, exſiccabitur brevi corpus liquidiſſimis expreſſis, & mutabitur illa morbi conditio, quæ ſalubri huic per ſputa evacuationi favebat. Sic obſervamus in phthyſicis, quibus quotidie per ſputa pus in pulmone collectum evacuetur, veſpertino tempore, dum hectica illorum febris multum augeri ſolet, ſputa ſupprimi cum anxietatis augmento; matutino demum tempore, mi-

minuta febre, ſputa iterum, externi cum ſummo levamine. Calefacientia autem medicamenta, in hoc morbi ſtatu exhibita, ſimilem effectum habere intelligitur ex illis, quæ de febrium cauſis dicta fuerunt: ibi enim probatum fuit, a talibus in ſano etiam corpore febrim excitari poſſe; facile ergo ab iisdem augeri poterit febris, quæ jam adeſt.

Alvus liquida, nec critica. Omnia, quæ de corpore ſubducunt liquida ingenti copia, inter cauſas ſputi ſuppreſſi merito numerantur. Per alvum quandoque morbi materiem in peripneumonia evacuari, vidimus: tuncque critica dicitur diarrhæa, & levamine morbi inſigni facile diſtinguitur a noxio alvi fluxu. Obſervaverat jam in hoc morbo *Hippocrates* a) ab alvo liquida ſputa ſupprimi; habet enim ſequentia: *Si multus humor per inferiora ſecedat a quinto die, mortem infert. Secedente enim per inferiora humore, ſuperiora ſiccefcunt, neque ſputis purgatio per ſuperiora prodit. Inferiorem igitur alvum neque nimis ſiſti oportet, ut febres haud acute ſint; neque nimis ſubduci; ut ſputum ſurſum emitti poſſit, & æger viribus valeat.* Dum in phthiſicis fatalis illa diarrhæa, morbo & vitæ finem imponere ſolita accedit, miſeris illico ſputa ſupprimuntur.

Su-

Sudor ingens ob eandem rationem, nimiam nempe liquidi ſubductionem, ſputi ſuppreſſi cauſa eſſe poteſt, uti facile patet.

Animi affectus vehementior. Quantum turbari poſſit corpus a validis animi affectibus antea vidimus. Sed & inter febrium cauſas numerati fuerunt: & in illo caſu, dum ſegnis nimis febrilis motus non poterat morbi materiam ſubigere, movere, ſecernere & excernere, illum augeri poſſe excitato animi affectu dictum fuit. Cum autem in hoc caſu, ubi per ſputa evacuatur peripneumoniæ materies, juſtum adſit febrilis motus moderamen, patet, ingens diſcrimen adeſſe, dum per animi affectus vehementiores incitatur ille motus. Accedit, quod in validis animi affectibus ſemper in reſpiratione obſervetur facta mutatio, unde pulmonem directe quaſi afficiunt. Sic ira ſumma motus homo validiſſime reſpirat illico, & anhelat; metu ſubito perculſus ſtatim ingentem circa pectus oppreſſionem ſentit, moleſtiſſima ducit ſuſpiria &c.

Simulac ergo ſupprimuntur hæc ſputa, nondum educta omni morbi materia, vaſa quædam manent obſtructa, ab impetu ſanguinis loca obſtructa urgentis diſtenduntur, di-

ſten-

ſtenta comprimunt ſibi vicina vaſa, ſicque malum brevi propagatur, & omnia ſymptomata, numeris hic citatis recenſita, quæ jam minui inceperant, recrudeſcunt denuo, & augentur ſubito. Patet, ſummum inde diſcrimen metuendum eſſe, cum debilior jam a morbo prægreſſo æger novo huic inſultui ferendo minus par ſit.

Si itaque a ſputis emanentibus valida pulmonum oppreſſio, & pulſus celer, durus, venæ ſectio, quæ ægri viribus reſpondet, inſtituenda eſt. Pulcherrimum dein, quod tunc adhiberi poteſt, remedium eſt, ſi omni momento æger calidum & humidum vaporem naribus & ore hauriat, ut tota pulmonis aërea ſuperficies humeſcat & emolliatur; ſic enim laxantur contracta vaſa, diluuntur & meabiles redduntur ſpiſſiores redditi per exſiccationem prægreſſam humores, & binis his affectis concurrentibus ſputi ſuppreſſi redintegratur excretio. Simul etiam novæ inflammationi, ab hac cauſa natæ, proſpicitur quam pulcherrime, ut vel reſolvi, vel per ſputa curari poſſit; uti jam ſæpius in præcedentibus monitum fuit. Ob eandem cauſam, vaſis aqua calida plenis in cubiculo repoſitis, totus aër vaporibus humidis repletur. Eadem tempo-

re

re decocta hordei, avenæ, ficuum, herbarum emollientium & leniter aperientium (quæ antea jam laudata fuerunt), potantur larga copia, ut & ſanguis his diluatur, & pulmonis vaſa laxentur: additur mel, ſolvente blanda ſaponacea virtute adeo notum; & acetum parca copia, ut lenis tuſſis excitetur, per quam, ſolutis humoribus & laxatis vaſis, expellatur omne, quod retentum fuerat ſputis ſuppreſſis. Oxymel hinc tanti fecerunt veteres medici. Unde in tali caſu *Hippocrates* a) dixit: *Hinc confert potiones bibere, quibus pulmo humectatur & exſpuit. Niſi enim exſpuerit, & durior pulmo evadit, ſimulque areſcit & hominem perimit.*

a) De morbis Lib. I. cap. 11. Charter. Tom. VIII. p. 547.

Diacodiata autem & leniora opiata multum prodeſſe poſſunt, quatenus nimium febris impetum compeſcunt, alvum liquidam, ſputi ſuppreſſi cauſam ſæpe ſiſtunt, & animi validos affectus ſopiunt.

Illuſtr. Hoffmannus, a) Archiater Moguntinus, ad reſtituendam exſcreationis libertatem, ſequens remedium commendat ex flo-

ri-

ribus benzoes gr. jv. Camphor. gr. ij. omni bihorio talem ſumendam.

a) Hoffmann vom Scharbock. Münſter 1782.

Peripneumoniæ ſymptomaticæ.

Pulmonum inflammatio non raro aliis febribus ſupervenit, grave atque anceps malum, cum & difficilis nonnunquam illarum cognitio, & medela quoque ſæpe incerta; cum & pulmonum inflammationi, & *febri principi*, cui peripneumonia acceſſit, mederi debeamus. Accidit hoc perſæpe in decurſu febris putridæ, ubi & aliorum etiam viſcerum & pulmonum præprimis dira inflammatio in exſtipiciis detecta eſt.

Ad ſymptomaticas ejusmodi peripneumonias etiam pertinet *maligna* quorundam medicorum peripneumonia, quæ venæ ſectiones minus fert, ob magnam inde virium vitalium ruinam. Talem anginam *Huxhamus* a) deſcripſit: „ At enim vero nonnullæ extant peripneumouiæ ſpecies,quæ nulla ratione largam ſanguinis ſuſtineant detractionem, ut quidam indubitatæ fidei annotaverunt ſcriptores medici. — Ego vero idem illud variis peripneumoniis epidemicis vertente anno 1745, & in-

ineunte anno 1746, b) obfervavi; quibus temporibus peripneumonia graffabatur epidemica, in qua poft alteram (& interdum quoque poft unicam) fanguinis emiffionem pulfus & vires ægroti mirum in modum profternebantur; & quæ in febris mutabatur speciem nervofæ, cum qua magni tremores, tendinum fubfultus, profufi fudores, aut diarrhæa atrabiliofa cum lingua nigra, comate vel delirio erant conjuncta; quamquam in principio pulfus plenus & celeriter tremens, dolor, tuffis & oppreffio ita urgere videbantur, ut fanguinis emiffionem quam maxime indicarent. — Quo in cafu raro fanguis aliqua infigni crufta obtectus; fed plerumque floridus, *laxioris* tamen *molliorisque confiftentiæ vel coloris obfcurioris & tenuiore, cærulea aut viridefcente incruftatus pellicula* occurrebat, fub qua *tenuis viridefcens gelatina* & in fundo *obfcure lividus* hærebat cruor. — Interdum quidem crufta erat & craffior & tenacior, fed *calore pallide rubicundo, baccis corni* vel *dilutæ ribefiorum* rubrorum *gelatinæ fimili.* — Quod phænomenon fæpius in veris pleuroperipneumoniis obfervavi. — Si quando ego talem laxum diffolutum video fanguinem, in confilio plus fanguinis emittendi femper caute

te verſor, in primis ſi poſt ejus detractationem pulſum vel quoque ægrotum magis languentem deprehendo, etſi oppreſſio, pondus, vel quoque dolor id requirere videntur. — Pari obſervationis genere *Lanciſius* & poſt eum *Baglivius*, a continuanda ſanguinis miſſione abſtinendum eſſe, ſi nulla in eo ſecundum emiſſo appareat cruſta tenax, caute admonent. *In pleuritide, peripneumonia, & hujusmodi inflammatoriis pulmonum morbis, ſi in ſanguine e vena ſecta extracto non appareat in ſuperficie cruſta alba, quæ neceſſario apparere debet, peſſimum, — ſi vero in altera ſanguinis miſſione incipiat apparere, bonum: contra ſi in ſecunda ne quidem apparebit, abſtineto ſtatim a ſanguinis miſſione, aliter interficies ægrotantem.* c) — Ego quoque cum *Baglivio* tam in priore, quam poſteriore prædictionis parte, ſanguinem in principio febrium pulmonicarum detractum floridum peſſime ſemper esſe ominis, conſentio; id enim, vel ſanguinis craſin maxime perturbatam & diſſolutam eſſe, vel craſſum inflammatorium ſanguinem in pulmonum arteriis impactum hærere, neque aliquid præter tenuiorem & maxime ſeroſam partem transire & ad cordis ventriculum ſiniſtrum provenire poſſe, oſtendit.

a)

a) Huxhami opera T. II. Diff. de pleurit. & peripn. C. II. p. 168.
b) Huxham de aëre & morbis epid.
c) Baglivii opera Lugduni 1710. 4to Cap. de pleuritide p. 37.

Nihilominus facere non possum, quin annotem, interdum quidem in peripneumonia & pleuroperipneumonia primum & secundum quoque emissum sanguinem nulla crusta obtectum apparere, tertium tamen fore valde tenacem, idque præcipue fieri, quando in brachio destillat, neque pleno flumine profluit sanguis tunc vero & hoc observandum est, quod sanguis hic, licet appareat floridus, frigidus tamen redditus, sit tensior & tenacior; cum e contrario in casu supra relato, sanguis quidem satis floridus, laxioris tamen mollioris que esset contextus, neque unquam in ordinatum, firmum coiret crassamentum. — Tale laxioris, dissoluti & floridi sanguinis genus sæpius hominibus navigantibus in principio anni 1746 d) detrahebatur, eumque semper comitabantur pessima, sæpiusque mortifera symptomata. — Tales malignæ peripneumoniæ sæpissime profecto nautis post longa itinera & hominibus scorbuto insigni affectis, contingunt. — Qui primo præ reliquis dif-

fi-

ficulter & brevibus intervallis ſpiritum trahunt, langueſcunt & leviſſimo motu debilitantur, ac vagis tranſientibus horroribus, æſtu, & totius corporis doloribus afficiuntur, febris cum magno præcordiorum pondere, brevi, importuna, ſicca tuſſi, pulſu celeriore, tenui & molliore, quam in peripneumoniis inflammatoriis conſueſcit, ſudoribus frigidis inæqualibus, & perpetua inquietudine atque anxietate ſuccedit; tandem *tenuem*, *glutinoſam*, *cruentam* aut *obſcurioris coloris* ac frequenter *infenſiſſimi odoris materiam* rejicere incipiunt; præter ea iſtis rubrarum, caſtanei coloris, lividarum vel nigrarum petechiarum accedit eruptio. Urinæ color plerumque eſt obſcure niger, vel *igneus lixivioſus*, *haud ſecus ac ſi parca ſanguinis quantitas in ea ſit diſſoluta*; in hac parca quantitate emiſſa nihil deſidit; in illa vero nonnunquam occurrit larga livida hypoſtaſis, nonnunquam nihil aliud, quam materia furfuri ſimilis hinc illincque eſt diſperſa. — Cum hæc ſymptomata maximo craſis ſanguinis diſturbatæ atque acrimoniæ humorum ſummæ ſint argumento, ſanguinis detractio largior non facile prodeſt, licet ſæpius inprudenter ſuſcipiatur,

a) Huxhami obſervat. de aere & morbi epid. Menſe Januar. Februar. & Martio.

Idem autor ulterius de hac peripneumoniæ ſpecie loquitur: a) Ex hominibus tali peripneumonia laborantibus detractus ſanguis ſtatum ejus diſſolutum putridum monſtrabat; craſſamentum erat laxum & tenue, ſerum turbidum & rubicundum: lingua nigra & dentes craſſis obſcurisque ſordibus obducti, reſpiratio infenſa & urina colore obſcuriore aut nigro tincta fœtidaque, quæ in genere obſervabantur, magnam humorum indicabant corruptionem; & maculæ nigræ aut dyſenteria cruenta, quæ ſæpius quinto, ſexto aut ſeptimo apparebant die, multo magis hoc comprobant. — Quantum pulſus & ægroti vires poſt ſanguinis detractionem talibus in caſibus diminuerentur, mirum erat: interdum non ſine maximo metu & ſollicitudine magnam anxietatem, animi deliquium, ſudorem frigidum & pulſum intermittentem, tardum, citius ſuccedentem obſervabam, licet febris ipſius in principio hoc fieret & pulſus antea fortis & acceleratus videretur. — Hæc quoque in pleuroperipneumoniis, ubi dolor lateris vehemens, oppreſſio pectoris magna &

tus-

tuſſis inſignis erant, vidi; alias enim illud, quod peripneumoniam adeſſe oſtendebat, merum febris malignæ fuiſſe ſymptoma, credere quis potuiſſet. — Quas peripneumonias putridas alteram ſanguinis emiſſionem nunquam bono cum ſucceſſu, immo raro primam pertuliſſe, niſi pulſus adeſſet fortis & tenſus pro certo habeo. b) — Quando ego, num ſanguinem detraherem, dubius hærebam, ſcarificationem & cucurbitulas interdum cum ſucceſſu applicabam, etſi uno alterove in caſu effuſio ex cute conciſa valde erat profuſa, neque prius prorſus cohiberi poterat, quam exſpirabat æger.

a) Huxham. oper. Tom. II. Diſſ. de pleur. & peripn. Cap. II. p. 190.

b) Id de aere & morb. epid. menſe. Ian. & Febr. 1736.

Itaque hic quædam putredini reſiſtentia medicamenta pectoralia requiruntur, decoctum ex ficubus, bardana & papavere rubro cum ſucco aurantiorum Hiſpanienſium vel limonum primum & poſtea gas ſulphuris, aut elixirio vitrioli bene acidulatum redditum valde convenit. — Nitrum, olibanum, myrrha, ſulphuris flores, & bolus cum conſerva

jugulæ, roob sambuci, aut ribesiorum, mucilagine seminum cydoniorum & syrupo rubi idæi dari possunt: vini acetum camphora saturatum cum sambuci & rubi syrupo egregium quoque est medicamentum; quorum cochlear unum vel alterum interdum est exhibendum. Vinum pomaceum bonæ notæ, vinum & aqua cum succo aurantiorum Hispaniensium, vel limonum calide haustum exscreationem, si deficit, promovet & acrimoniam alcalinam corrigit. — Rosarum tinctura cum floribus papaveris rubri inordinatum tenuis cruenti ichoris defluxum temperat; nihilominus sæpe oxymel squilliticum & aqua cinnamoni fort; ad materiam evacaudam necessaria sunt, si in trachea stridor insignis & spirandi difficultas, magnam in pulmonibus adesse quantitatem arguunt; at enim vero sæpe tussis importunitas & violentia elixirio asthmatico, diacodio, cæterisque est compescenda. — Sagu, panata, cornu cervi gelatina, poma tosta, decocti hordei cremor, aut avena decorticata cum pauco vino & limonum succo parca copia sed sæpius data ad ægrotum sustinendum sunt necessaria; fraga, rubi fructus, ribesia & cerasa interdum cum successu concedi possunt. Neque hæc medendi methodus

dus nova eſt; nam in pleuritidum curatione anni temporis fructus, ut ficus, cæteraque ſuadet *Aretæus* a) atque idem, in alimentis, recte ait b) medicamenta ponentur, quin immo in alimentis medicamenta ſunt. — In parte diætetica fui verboſior; nam ut breviter me expediam, in eo, ut convenienti ratione vires ægroti conſerventur, & tempus prorogetur, donec humorum acrimonia correcta & pulmones a putrida exonerati ſint colluvie, cardo rei verti videtur; in fine ad minimum omnia a bene præſcripta dependent diæta; ubi panis toſtus & vinum rubrum portugalenſe aqua dilutum, cocta cum corticibus aurantiorum ſevilianorum, macis aut cinnamomo beneque acidulata miram præſtant utilitatem. — Raro hoc in caſu ſalutaria inveni veſicatoria, ſæpius profecto noxia, cum magis arrodant & magnam tenuis cruentæ materiæ emittant copiam & interdum partium excitent deſtructionem.

a) De curatione pleuritidis.
b) Aretæus. L. c.

Quæstiones variæ.

Ex iis, quæ hucusque de inflammatione pulmonum dicta sunt, facilis est quæstionum, quas author ultimo hujus capitis paragrapho proposuit, solutio, ut longiori harum disquisitione haud opus sit, atque paucis possint absolvi:

Subita quandoque in peripneumoniæ initio apoplectica mors observatur. A magnitudine scilicet inflammationis, si utroque pulmone dirissime inflammato, totum hoc vitale viscus sanguini ulterius recipiendo atque transmittendo ineptum redditur, atque ob eam ipsam causam sanguis, cui liber a capite reditus intercipitur, in cerebro coacervatur, atque ægrum apoplectice ferit.

Mollis pulsus, qui in initio aderat, facta venæ sectione non raro plenior atque durior evadit; quoniam pulsus ob validam pulmonis inflammationem suppressus, infarctu hujus visceris inflammatorio a sanguinis evacuatione imminuto, magis evolvitur, atque eas vires adquirit, quæ vehementiæ inflammatoriæ febris respondet; ut igitur ex pulsuum in peripneumonico homine mollitie de magnitudine inflammationis recte judicium feras.

Pes-

Pessimum signum est in his ægris respiratio solo abdomine peracta, atque sermo parvis crebrisque inspirationibus interruptus, dum interim de sensu oppressionis in pectore interrogati, se libere omnino respirare profitentur. Affectum encephalon id significat, ut ægri vel maxima respirationis impedimenta haud sentiant.

Prava metastasis phlogisticæ limphæ repente nonnunquam in iis est facta, quibus morbus negligebatur, quive aliquam salutis spem jam conceperunt. Eam autem actu fieri augurabamur, si cui thorace inflammato, neque pessime habenti, & diligenter curato ex improviso spiritus difficillime, celerrimeque, atque non nisi erecto, aut inter sedendum, antrorsum inclinato corpore, trahi cœpit, cum pulsuum tenuissimorum celeritate & frigore extremorum, & facie Hippocratica; pereunt haud multo post a *spurio hoc empyremate* suffocati. Servari forte tales possint paracentesi thoracis mox instituta, & lympha, priusquam in coagulum abiret, educta. a)

a) Stoll. rat. med. P. III. p. 54.

Sæpe ægri pulmonum inflammationibus detenti magnam copiam puriformis materiæ

ex-

exſpuunt, quin ſigna orituræ vomicæ præceſſerint, atque tali exſcreatione per ſeptimanas etiam continuata, ſenſim ſine ſenſu ſputa minuuntur, & ægri, qui pro phthyſicis habebantur, priſtinam ſanitatem adquirunt. Hæc materies lympha erat phlogiſtica, quæ ſub puris ſpecie impoſuit.

Raro phthyſin ſanari funeſta utique & quotidiana experientia comprobatur. At illa præcipue phthyſis omnium difficillime curatur, quæ ex hæmopthyſi, vel peripneumonia, vel pleuritide ſuppurata orta eſt. — Maxima enim difficultas ab inflammatione partium abſceſſui vicinarum naſcitur. „ Qui enim hæmophtyſi aut laborarunt aut adhuc laborant, purulenta ſputant ſanguine ſubinde tincta: per intervalla auctum lateris dolorem queruntur, omniaque illa ſigna monſtrant, quæ latentem & chronicam pulmonum inflammationem indicant. — Phthyſeos ex hoc hæmophthyſi natæ, vel cum eodem junctæ ideam exactam habebit, qui continuam, & chronicam pulmonum inflammationem concipiet, vel chronicam quamdam peripneumoniam cum ſputo cruento ob vaſa pulmonum debiliora ſolito largiori, ubi pars quædam inflammata in ſuppurationem tranſiit,

re-

reliqua reliqui pulmonis inflammatione cruda perſiſtente. „ a)

a) Stoll. l. c. P. I. p. 204.

Hinc etiam empyema poſt peripneumoniam lethale; nil enim ex pure etiam emiſſo exſpectes, cum pulmo interim ſuppuratoria labe conficitur.

Difficilis diagnoſis peripneumoniæ in illis hominibus, qui aut ob naturalem, aut vi morbi inductam inſcitiam, atque inſenſilitatem, de pectoris oppreſſione nil conqueruntur, quod infantibus, & mente captis accidit.

Ex hac ratione medicus ſumma & oculorum & mentis acie reſpirationem in ægro examinet, ita enim vel maxime latentes inflammationes detegere poterit.

Cum ſæpe admodum difficilis diagnoſis empyematis ſit, oportet omnia ſigna conferre, quibus certior fieri poteſt medicus. Multum nos ſæpe juvabat in ſchola clinica *thoracis percuſſio*, quod ſignum ab clariſſimo vindobonenſi medico *Auenbrugger* commendatur; at non ſolum, ſed cum toto morbi decurſu col~~latum, pus~~ collectum eſſe ſignificat. Si enim thorax percuſſus non reſonat, id tantum ſcimus pulmonem illius lateris aëris recipiendi in-

incapacem esse, deletas esse vesiculas pulmonales; modum vero quo id fit, materiam quæ hanc vesicularum compressionem facit, ut aër recipi nequeat, percussio non docet. Neutiquam tamen spernendum hoc signum, cum omnia alia signa subinde ambigua sint, ut hoc etiam accedente certa evadant; dein percussio docebit, quonam in cavo morbus hæreat.

Raro anatomicis ea felicitas contingit, ut pulmones secent pleuræ non accretos. Puto id ob frequenter prægressos morbos thoracis fieri, cum sciamus, eos ut plurimum, si leviores sint, negligi, aut perversa medendi methodo omnino exacerbari. Hinc in illis pseudomembranis varia sæpe strata dignoscimus, ut inde ad prægressas olim diversis temporibus inflammationes concludere valeamus.

PLEURITIS LATENS CHRONICA.

Non tantum *acutas*, sed etiam *chronicas*, *latentesque inflammationes* dari in primo Volumine horum commentariorum animadversum est. a) Accidit id omnibus visceribus, præcipue autem pulmonibus. Omnium maxime *Baglivius* b) medicus de latentibus harum inflam-

flammationum insidiis medicos perattentos fecit: consistit autem hic morbus in minutissimis doloribus pungentibus in unico tantum pectoris loco, digiti acumine nunquam majorem ambitum complectente, febre notabili aliisve vehementibus symptomatibus non consociatus, a pluribus eodem laborantibus fere penitus negligitur, plerumque vero, licet mitissimam speciem præseferat, vomicam, pessimarum sequelarum scatebram, progignit. Si simul constans, etsi levior thoracis oppressio adsit, *pleuroperipneumonia latens* adest.

a) Commentar. T. I. p. 129.
b) Bagliv. oper.

Signa pleuritidis latentis.

Detegitur hæc occulta pleuritis aut peripneumonia:

1.) Aegri vix febrire a semetipsis, aut etiam ab medico observantur. Tussicula, sputa pauca, cocta, mucosa. Oppressio pectoris non nisi in motu corporis; appetitus vigens, lingua modicissime albescens, sitis nulla.

2.) Si æger modo in hoc, modo in alterum latus se convertere jubeatur, atque attendere num quilibet decubitus æque ipsi facilis sit; num fors uni lateri incumbens tussitare debeat; num angustiorem ipsi, difficilioremque fieri spiritum in hoc potius situ, quam in alio experiatur.

3.) Aeger jubeatur fortius inspirare, exploreturque, num is inter respirandum aliquid in pectore incommodi, aliquem dolorem punctorium, ardorem pressionemque sentiat.

4.) Data opera validius aliquoties in vario corporis positu tussitet, & attendat, numquid molesti, pungentis, ardentis, prementisque doloris sentiat.

5.) Status ægri prægressus diligenter examinetur; sunt enim morbi, qui hasce pleuritides occultas, & peripneumonias sæpissime post se relinquunt.

Causæ pleuritidis latentis.

Præter generales inflammationum causas, quæ minori vehementia corpori applicatæ chronicam & latentem pleuritidem valent producere, aliæ singulares dantur, quibus prægres-

greſſis pulmo eo certius hac ſubdola inflammatione affligitur.

1.) Inter eas cauſas primo ipſe morbus pleuriticus non perfecte ſolutus numerandus eſt. Poſt veram enim, & eſſentialem pleuritidem reſtat nonnunquam aliquid in thorace incommodi. Nulla interim febris adeſt, & perfecta adeſſe ſanitas videtur, ſi exiguum iſtud moleſtæ ſenſationis excipias, ob quam, poſtquam reconvaluerint jam ex morbo, data quæcunque occaſione, relapſus denuo in peripneumoniam aut pleuritidem fit; nam leve hoc poſt pleuritidem incommodum rarius ab adhæſionibus novis pulmonum cum pleura, frequentiſſime vero a ſuperſtite exigua phlogoſi particulam pulmonis pertinacius occupante deduci poſſe videtur. Hinc ejusmodi ægri, etſi a morbo reſtituti, perpetuum tamen novarum pleuritidum fomitem intra thoracem fovent. Poſt rheumatismos febriles ac inflammatorios, poſt pleuritides ac peripneumonias rheumaticas idem accidit.

2.) Alia frequens pleuritidis latentis cauſa *catarrhus* eſt. Sunt qui prægreſſo catarrho per multas ſeptimanas, quin & menſes levi alterutrius lateris dolore, ardore quodam, licet exiguo, ſputis non purulentis, ſed purifor-

mi-

mibus, coctisque vexantur, quin præterea decumbunt.

3.) Qui pulmones *tuberculis* obsitos habent, si quacunque ex occasione incaluerint, vino, motu, sole, atque circuitum humorum incitarint, his sæpe unum alterumve tuberculum inflammatur, quin propterea febre universali totumque corpus prehendente corripiantur.

4.) Peculiaris corporis dispositio est, quæ chronicæ thoracis inflammationibus plurimum favet, atque a *Stollio*, & ab *Huxhamo* a) inter causas frequentiores pleuritidis chronicæ relata est. Huc etiam illa dispositio corporis pertinet, quæ a præcoci corporis incremento, quod in rachiticis sæpe observatur, originem ducit. b)

a) Commentar. Vol. I. 123.
b) Stoll. Prælect. p. 19.

Qui hac dispositione multati ex quacunque causa humorum motum excitante, & ad pulmones præcipue urgente in hanc latentem pleuritidem incidunt, ex tabe tandem pereunt. Cruda enim iis longissimo tempore inflammatio perstat absque aliquo consueto inflammationum aliarum exitu. Tandem sputa cocta, non purulenta, sed puriformia, sanguine

guine nonnunquam permixta prodire incipiunt, copiosaque, quæ pectoris oppressionem, doloremque punctorium minuunt. Verum cum ea magna quantitate, & diuturno tempore evacuentur, æger emaciatur, contabescit, moritur, quin unquam vere purulenti quid deprehensum fuerit. a)

a) Stoll. Rat. med. P. I. p. 117.

Cura pleuritidis & peripneumoniæ latentis.

Cura chronicæ hujus inflammationis consistit in methodo antiphlogistica, at non in generosa, sed refracto ejusdem usu morbi longæ durationi, atque ægri viribus respondente. Prosunt itaque parcæ, sed iteratæ sanguinis missiones; sanguis ferme semper crustam pleuriticam exhibet. Prosunt emollientia, mucilaginosa, præcipue autem decoctum Salab, quod longiori etiam sub usu vires digestionis non labefactat. Omnium maxime autem convenit antiphlogistica vivendi ratio, quæ ferme semper hos ægros relevat, in multosque annos conservat. In cadaveribus illorum, qui ex tali phthysi perierunt, & vomicæ, & partium his abscessibus vicinarum cruda inflammatio reperta sunt; ut itaque his exstirpiciis, & ex antiphlogistica medela

sa-

ſatis pateat, morbum hunc ad chronicas & latentes inflammationes pertinere.

Hinc patet, quare tanta ſæpe ſtrages, a catarrhis neglectis ſequatur, dum latens illa inflammatio aut non cognita, aut remediis roborantibus, adſtringentibus tractata in phtyſin immedicabilem tranſit.

Si labes hæc hæreditario modo in proles transfertur, unica ferme ſalus in antiphlogiſtico regimine habetur, vitando ſcilicet omne genus ſtimulantium, atque humorum circuitum incitantium, ſeu alimentorum, ſeu remediorum, aut validioris corporis exercitii.

Obſervatum eſt ſæpius, ejusmodi ægri plurimum levari, imo etiam ſanatos eſſe, ſi arthritis, podagra regularis, aut hæmorrhoidum fluxus acceſſerit. Solet id tunc fieri ſi materia arthritica, quæ ſanguinem inflammabat, ad alias partes derivatur, aut fluxu hæmorrhoidum e corpore eliminatur.

Nocent in hoc genere phthyſeos remedia tonica, lichen islandicus, &c. materiam expectorandam ſupprimunt, & pectoris incommoda augent. Balſamica, cortex, equitatio hanc phthyſeos ſpeciem brevi morbiferam efficiunt. Quando autem his remediis locus ſit, tunc dicetur, cum de phthyſi ſermo erit.

Pleu-

PLEURITIS SICCA.

Pleuritis morbus pectoris eſt & frequentiſſimus, & inter eos recenſendus, qui catervatim ſubinde ſæpius graſſantur, atque haud exiguam ſtragem edunt. Signa, quibus periculoſus hic morbus ab aliis inflammationibus diſtinguitur, hæc ſunt:

1.) Febris acuta continua.

2.) Pulſus duris. Subinde tamen fictitie debilis, mollis eſt, tunc præſertim, ſi ægri ob auctum ab inſpiratione dolorem ſpiritum diutius cohibent.

3.) Dolor acutus, punctorius; non enim omnis dolor laterum pleuritis eſt, ſubinde enim ſolum rheuma vagum muſculos intercoſtales occupat. Dolor is vehementer augetur dilatato per inſpirationem thorace, diſtractis nempe partibus inflammatis; ob eandem quoque cauſam lenior erit dolor inter exſpirandum, vel dum ægri animam retinent. Reſpiratio autem tunc ad vitam neceſſaria, immoto ferme thorace, ſolo abdomine peragitur ſubinde, at non ſemper tuſſis ſicca adeſt, quæ autem, ob validiſſimum dolorem, quem excitat, mox intercipitur.

Prima pleuritidis divisio.

Ubi per tuſſim ſputa educuntur, qualiacunque hæc fuerint, vocatur *Pleuritis humida*, ſi vero ſicca & inanis tuſſis ægros vexet, ſiccat dicitur; indeque habetur prima, & maxime obvia pleuritidis diſtinctio. Cum autem monuerit Galenus, a) in pleuriticis & peripneumonicis affectibus, illam excretionem, quæ per ſpatu fit, ſimilem eſſe urinarum ſedimentis, quæ cruditatem vel coctionem in morbis acutis deſignant, adeoque dixerit, ſiccam absque ullo ſputo tuſſim idem ſignificare, ac urinam aquoſam, quæ crudiſſima, & peſſimi ominis merito habetur, patet, multum ad prognoſin facere diſtinctiouem pleuritidis in humidam & ſiccam. Ab omnibus enim damnatur pleuritis ſicca, tanquam periculoſa, & moleſtiſſima curatu; & concoctu difficilis, quæ vel celeriter hominem rapit, vel non niſi longo tempore ſolvitur.

a) Galenus de criſibus. L. I. c. 18.

Differentia itaque pleuritidis ſiccæ ab humida, ſeu inflammatione bronchiorum in eo conſiſtit, quod hæc tuſſim ſibi junctam habet, qua ſputa plerumque ſanguinolenta educuntur,

tur, in priori vero vix aliqua tuſſis, eaque ſicca adeſt.

Sedes Pleuritidis.

Alia diſputatio eſt de ſede morbi. Aliqui enim pleuram affectam eſſe contendunt, alii vero ſolos pulmones pleuritidis ſedem eſſe affirmant. Quid in utraque opinione verum ſit, huc forte redit:

1.) In pleuritide ſicca pleuram & inflammatam, & ſuppuratam, & gangrænoſam inventam fuiſſe, accuratis utique anatomicorum obſervationibus conſtat.

3.) Attamen id etiam verum eſt, eas pleuritides, quarum ſedes in ſola pleura eſt, rariſſimas eſſe. Nam *Hallerus* exempla refert pleuritide mortuorum, qui diſſecti ſaniſſimam pleuram, & pulmonum alterutrum inflammatum exhibuerunt. *Servius* aſſerit Romæ ultra trecentum pleuritide defunctorum cadavera diſſecta, quorum omnium inflammati pulmones fuere. *Morgagni* ſectiones cadaverum a Valſalva inſtitutas recenſet, ubi in 26 cadaveribus hominum ex pleuritide mortuorum pulmones inflammati reperti absque ulla pleuræ læſione ſunt. Res quidem captu paulo diffi-

cilior eſt, quomodo pulmo ferme indolens, & paucis nervis præditus tam acute dolere poſſit. Sunt qui in pleuritide membranam pulmones veſtientem potius, quam inferiorem ejus ſubſtantiam inflammatam, indeque tam acutos oriri dolores credunt; e contrario vero in ſola peripneumonia interiora pulmonum magis inflammata arbitrantur, ut idcirco unum idemque viſcus tam in pleuritide, quam peripneumonia, ſed diverſæ ejus viſceris portiones affectæ exiſtimentur; non negandum tamen eſt, tam in peripneumonia, quam in pleuritide pleuram ſubinde affectam inflammatione reperiri, quod ob membranarum vicinitatem capi haud difficulter poteſt.

3.) Cum raræ admodum ſint illæ pleuritides, in quibus inflammatio pulmonum non ſimul adſit, aut ſuperveniat, plurimi medici nullam pleuritidem ſiccam inter & peripneumoniam diſtinctionem ſtatuerunt. *Sydenhamus* a) tantam affinitatem inter pleuritidem & peripneumoniam agnovit, ut expenſis omnibus pleuritidis phœnomenis concluſerit: „ morbum illum nihil aliud eſſe: quam febrim a propria & peculiari ſanguinis inflammatione ortam, qua natura materiem peccantem

tem in pleuram deponit; nonnunquam & in pulmones, unde peripneumonia fuboritur; quam a priore gradu tantum, & pro majore ejusdem caufæ intenfione, extensuque latiori differe autumat. „ Eadem etiam *Pringlii* a) opinio eft; atque ipfe *Stollius* c), de fede pleuritidis dubius hærebat: „ quorfum referre caufam doloris punctorii oporteat in pleuriticis vel pleuroperipneumonicis necdum videtur exacte conftare. Id folummodo certum per obfervationes eft, pleuram ea ratione abfolvi poffe, ut dolor ab ejus inflammatione, utpote quæ fæpius abeft, non femper repeti debeat, quamvis fi revera phlogofi teneatur, ea fic affecta citra acuti doloris fenfum refpiratorio thoracis motu diftrahi nequeat. Fors non inepte doloris caufam ex arctis illis pulmonum cum pleura nexibus moltoties explicare poffumus, cum pulmo turgens, feque ipfo durior majorque factus, verfus alterum thoracis latus prominet, aut, ut phrafi Hippocratica utar, ad *latus prolabitur*, quod certe fieri nequit, quin fimul nexus hi urgeantur, ac diftrahantur, & pleuram follicitent.„

a) Sydenham. op. Sect. VI. cap. 3.

b(

b) Bringle Beobachtung über die Krankheiten einer Armee. §. 168.
c) Stoll. rat. med. P. I. p. 153.

Aliæ Pleuritidis divisiones.

Reperiuntur dolores laterum cum febre, qui respirationis liberam actionem utcunque lædunt, neque tamen adeo periculosum exitum habent. Hinc illa distinctio pleuritidis in *veram* & *spuriam* nata fuit. *Vera* est, si ipsa pleura vel partes huic proximæ inflammatæ sunt; *spuria* autem, si superiores his partes, & integumentis externis magis vicinæ laborant. Diversum discrimen in utraque pleuritidis specie imprimis inde patet, quod eo magis impediatur vitalis inspiratio, quo magis versus interiora hæserit malum; & suppuratio natam inflammationem sequens extrorsum tendat potius, si in exterioribus partibus morbus fuerit, & contra versus pectoris cavum ruat, si profundius malum hæserit. Pulchre hæc notavit *Calenus* a), signaque recensuit, quibus bini hi morbi adeo affines distingui possent. Postquam enim de pleuritide dixerat, sequentia subjicit: *Sunt vero alii laterum dolores cum febribus, per quas*

ze-

necessario densa & parva respiratio fit; nihil autem exspuitur, ut ideo sputis expertibus pleuritibus similes fiant; verum facile ab illis discernuntur; tum quod nulla sit tussis, cum sputi expertes (pleuritides.) siccam tussim habeant, tum quod neque tensionem, neque duritiem ullam referat pulsus, neque adeo acuta febre laborent, & respirationis difficultas minus illos molestet; nonnulli etiam, prementibus nobis extrinsecus locum inflammatum, dolent. Illis repurgatio non fit per sputa, quia ab inito nihil humoris inflammationem excitantis ad thoracis spatium pervenit. Concocta vero inflammatione, nisi pus prius discutiatur, ad cutim attolitur, & secatur.

a) Galenus de locis affectis. L. V. c. 3.

Alia iterum divisio pleuritidis est in *idiopathicam*, & *symptomaticam*. *Idiopathica* dicitur, quando pleuritidis causa a primis ipsius morbi initio adfuerit; *symptomatica* autem quæ in decursu cujuslibet febris, vel in ipsa *putrida febre* observatur. Uti enim e. g. parotis, ita & peripneumonia, pleuritis, sero quandoquo nascitur. Frequens morbus est, & quasi prava crisis, & metastatica prioris febris; hinc tanti momenti est *bene spirare* in morbis acutis.

Cau-

Causæ prædisponentes pleuritidis.

Docuerunt obſervata fidelia, non omnem ætatem & temperiem æque huic morbo obnoxiam eſſe, imo & varium anni tempus, aëriſque viciſſitudines, conſiderationem hic mereri, de quibus nunc agendum erit.

Pleuritis morbus inflammatorius eſt, adeoque maxime metuendus illis, qui ſponte in hos morbos vergunt. Tales autem ſunt, quibus vaſa robuſta & contracta, humores denſi ſunt, acriores, & celerius moti. Pulſus his hominibus majores & crebriores eſſe ſolent, corpus gracile, agile, robuſtum, calidum. Adultos hinc potius invadit, quam juniores, in quibus ſolidorum laxior compages, & fluidorum minor denſitas reperitur; unde & *Hippocrates* monuerat, pleuritidem & peripneumoniam ante pubertatem non fieri: interim tamen quandoque licet rarius & junioribus hic morbus contingit. Ob eandem rationem notaverat *Aurelianus* a), maribus frequentiorem quam fœminis eſſe hunc morbum: teſtatur autem *Trillerus* b), fœminas pejus affici quam viros, ſi hoc morbo corripiantur, licet hoc rarius contingat. Valide enim tunc videntur fuiſſe cauſæ, quæ in corpore fœminino, minus ad hunc morbum prædiſpoſitio, pleuritidem

ex-

excitare potuerunt. Monuerat autem *Hippocrates* c) sequentia: *In morbis minus periclitantur, quorum naturæ, ætati, habitui, & anni tempestati morbus magis familiaris fuerit, quam quibus in horum aliquo non familiaris sit.* Et *Galenus d*) in commentariis in hunc textum optime notavit, periculi magnitudinem tunc non pendere ab ipsa constitutione corporis ægrotantis, sed a vehementia causæ, quæ morbum produxerat. Possunt facile conciliari modo dicta, cum illis observationibus, quæ videntur probare, peripneumoniam pueris & fœminis, & laxis hominibus rarius contingere, atque facile, & fere sponte, sanari, quatenus nempe ipsa fluidorum & solidorum dispositio naturalis in his hominibus minus favet huic morbo. Interim tamen ubi causæ procatarcticæ tanta efficacia est, ut in minus prædispositis talibus corporibus validam tamen pleuritidem excitare possit, non repugnat, periculosum morbum esse posse quandoque, licet tamen in duro & exercitato corpore ab eadem causa pejor adhuc nasceretur morbus, & a leviore etiam causa in tali corpore excitaretur.

a) Acutor. morbor. lib. II. Cap. XIII. p. 111.
b) De pleuritide p. 4.

c) Aphor. 34. Sect. 2. Charter. Tom. IX. p. 75.
d) Ibidem p. 76.

Obſervavit *Sydenhamus* a), quod hic morbus *temperamento ſanguineo præditos præ reliquis aggreditur, ſæpe etiam ruſticos & duro jam fractos membra labore.* Denſis autem illis & exercitatis corporibus imprimis perniciosum eſſe hunc morbum, jam monuerat *Hippocrates.* b) Et in macilentis & ſiccis corporibus frequentius ſe hunc morbum obſervaſſe, quam in obeſis & humidis, teſtatur *Trillerus.* c) Rigida enim in his vaſa, & humores denſi obſervantur. Ob hanc cauſam *Aretæus* d) credidiſſe videtur, ſenes imprimis pleuritidi obnoxios eſſe, ſed & ſæpius evadere cum valida phlegmone in ſenili ætate raro excitetur. Contrariam vero de juvenibus, & in flore ætatis conſtitutis hominibus, dixit, nempe, minus frequenter hoc morbo affici, ſed & raries emergere, quia majori impetu in talibus fuere ſolet pleuritis. Solidarum autem partium firmum robur huic morbo favere, colligi etiam poteſt ex illis, quæ apud *Hippocratem in libro de aere, locis & aquis* e) habentur. Notat enim, homines, qui incolunt urbes ſeptentrioni oppoſitas,

ro-

robusta & sicca habere corpora, sed & pleuritidi obnoxios vivere; contra vero illos, qui civitates austro oppositas habitant, imbecilliora, ἀτονώτερα plerumque corpora habere, sed & raro pleuritide corripi. f)

a) Sect. IV. Cap. III. p. 333.
b) Coac. Prænot. N. 398. Charter. Tom. VIII. p. 875.
c) De pleuritide p. 5.
d) De caus. & sign. morb. acut. lib. I. Cap. X.
e) Chart. Tom. VI. p. 191.
f) Ibid. p. 190.

Cibos potusque vel acri sua indole, vel & sola copia nimia, febres excitare posse, antea vidimus; adeoque patet, lautius potos & pastos, si simul in morbos inflammatorios ex propria temperie & ætate proni fuerint, facillime in pleuritidem incidere. Unde & copiosam vini ingurgitationem pro causa pleutidis habuit Hippocrates, a) Longe pejor adhuc spirituum fermentatorum abusus, cum & ab his liquidis coagulum inducatur, & solidæ corporis partes corrugentur; ideoque frequentissimæ & acerrimæ pleuritides illis accidere solent, *qui potui spirituosiori, præsertim*

vi-

vini ſpiritui, plus juſto per vitam ſunt aſſueti, uti obſervavit *Trillerus*. b) Sæpe tertio vel quarto die jam lethales pleuritides in ebrioſis hominibus vidit *Swietenius*.

a) Hippocr. de morb. L. I. Cap. II. Charter. Tom. VII. p. 546.
b) De pleuritide p. 4.

Acidum raro eructantes. Monuit in aphoriſmis *Hippocrates* ſequentia: Qui *acidum eructant, raro pleuritici fiunt*. Ubi autem *de morbis ſpontaneis ex acido humore* agebatur, conſtitit, boni ſanguinis inopiam, debilitatem fibroſæ compagis vaſorum & viſcerum, atque defectum animalis motus merito inter cauſas acidæ acrimoniæ numerari. Verum patet ex ante dictis, talia corpora minime ad morbos inflammatorios diſpoſita eſſe: unde intelligitur facile ratio hujus Aphoriſmi. Poſtquam autem *Helmontius* b) ſtatuerat, hoſtile acidum, pleuræ tanquam ſpinam, infixum pleuritidem facere, longe aliam hujus Aphoriſmi explicationem dederunt medici, qui hanc opinionem tuebantur. Putabant enim ideo ſæpius hoc morbo affligi illos, quia acidum ſanguini miſtum, morbo huic originem dabat

Quam

Quam vana autem hæc ſit opinio, ex cauſis pleuritidis poſtea recenſendis, uti & ex tota hujus morbi hiſtoria, ſatis patebit.

a) Sect. VI. Nro. 33. Charter T. IX. p. 179.
b) In Capitulo Pleura furens. Nro. 13. p. 319.

In morbos inflammatione vergentes. Hoc autem cognoſcitur ex corporis habitu, & morbis prægreſſis.

Verno tempore: Pleuritis quidem omni anni tempore a cauſis poſtea enumerandis naſci poteſt; verum quando Epidemicorum in morem regnat pleuritis, tunc potiſſimum verno tempore aggreditur; imprimis autem illa parte anni, quæ *inter ver atque æſtatem ambigens, utriusque quaſi fibula eſt*, uti *Sydenhamus* a) monuit; quod & propriis Epidemicarum conſtitutionum obſervatis confirmatum vidi.

a) Sect. V. Cap. V. & *Sect.* VI, Cap. III. pag. 306. 330.

Aut hyberno in acerimme frigido vento. Per frigus adunari ſanguinis moleculas, adeoque cauſam obſtructionis in arteriarum anguſtiis naſci, antea demonſtratum fuit. Si jam fri-

frigidus ventus magna vi aërem gelidum in pulmonem impellat, qui pleuræ contiguus eſt, ſimulque totum corpus undique afflet, loca intercoſtalia ab utraque parte tam interiori, quam exteriori exponuntur agri frigori. Imprimis autem pleuritidis periculum tunc adeſt, dum ex calidis hypocauſtis in aërem frigidiſſimum, non ſatis tecto veſtibus corpore, prodeant incauti homines.

Ideo *Hippocrates* dixit, hyeme pleuritides & peripneumonias fieri maxime, & quidem vehementiſſimas a); & *Aretæus* b) ſimilia monuit.

a) De affectionibus Cap. III. Charter Tom. VII. pag. 621.

b) De cauſis & ſignis morborum acutor. L. I. Cap. X. p. 9.

Quinam homines pleuritidi maxime ſint obnoxii, ſequentibus aphorismis *Trillerus* a) comprehendit:

„Pleuritis in omne hominum genus impune ſævit ſine diſtinctione.„

„Plus tamen mares infeſtat, quam fœminas, adnotante quoque *Cœlio Aureliano*. „

Ex

„ Ex illis juvenes magis & ſtata ætate viros, quam ſenes. „

„ Ex his rurſus macilentos & ſiccos magis, ob vaſa nempe ſanguifera ampliora, quam obeſos & humidos, propter vaſa anguſtiora & depreſſiora. „

„ Minus vero, qui acidum ructant, quia nempe habent vaſa debilia, ſanguinemque tenuem, fluidum, nec facilem inflammari. „

„ Omnium minime infantes, ob nimiam, ut videtur, corporis tenelli, fluxi & perſpirabilis laxitatem, acute obſervante *Aretæo*. „

„ Vidi tamen puellam IX. annorum a ſæva pleuritide ſubito raptam, quæ forſan tamen ſervari potuiſſet, niſi parentes crudeliter miſericordes opportunam ſanguinis miſſionem; præter rationem nimium reformidasſcent. „

„ Frequentiſſime contra in eos acrius ſævit pleuritis, qui duro atque impuro victui, in fructibus legumioſis, carnibusque & piſcibus ſalitis & fumo induratis, potuique ſpirituoſiori, præſertim vini ſpiritui, plus juſto per vitam ſunt adſueti. „

„ Hinc venatores, milites, olitores, ruſticos, curſores, aurigas, equiſones & id genus ex ima cavea alios, ſæpenumero pleuri-

riticos fieri, certa fidaque experientiæ conſtat.„

„Fœminas autem ubi corripit dirum hoc malum, tum majores plerumque tragœdias excitat, quam in viris.„

„Dextrum utplurimum latus obſidet, & tum benignior eſt.„

„Siniſtrum vero rarius adoritur, ubi autem contingit, tum in atrocius diſcrimen adducuntur ægroti, & morbus diutius durat, contrarium licet ſtatuentibus *Rufo*, *Raſe*, atque *Avicenna*.

a) Trillerus de pleuritide.

Cauſæ excitantes pleuritidis.

Cauſæ *ſingulares*, quibus inflammatio ad latera urgetur, hæ potiſſimum ſunt:

Hæreditaria ſubinde datur diſpoſitio, ut ægri in hoc vel illo viſcere frequentius inflammationibus corripiantur; quod ſæpiſſime de thoracis etiam inflammatione obſervatur.

Pleuritidem male ſolutam homines ad novas demum thoracis inflammationes diſponere, ſupra jam adnotatum eſt. Natura epidemici morbi prædominantis. Quamvis pleuritis

tis ſæpe ortum ducata cauſis manifeſtis, aëre v. g. frigido corpus a valido motu æſtuans afflante, tamen obſervatio fidelis docuit, naſci & pleuritides, multosque homines affligere eodem tempore, licet nulla cauſa noſcatur, cui morbi origo tribui poſſit. Verum quidem eſt, communem pluribus afflictionem, aliaque ſuadere, latentem talem cauſam in aëre hærere: interim tamen nemo facile determinabit indolem illius noxii, quod morbos populariter graſſantes afficiat, cum nulla mutatio qualitatum ſenſilium aëris detegatur; cui adſcribi merito poſſet talis effectus. Mirabatur non ſine ratione hoc *Sydenhamus*, quod febres tales epidemicæ nunc caput affligerent, alio tempore inteſtina, & dyſenteriam facerent, alio iterum tempore pleuram potius & pulmones invaderent. Obſervavit tamen & rem magni in praxi medica momenti, quod nempe per mutationes qualitatem ſenſilium aëris epidemica conſtitutio deflecteret utcunque a priſtina indole, quatenus nempe alia pars corporis affectaretur. Ita dum febris epidemica graſſabatur, quæ caput invadebat, contigit, ut menſe Octobri tota inſolitus aëris tepor adeſſet, quem ſubito excipiebat frigida & humida tempeſtas; unde oriebantur

tuſſes integras familias affligentes. Verum tuſſes illæ febri epidemicæ ſternebant viam, ita tamen, ut febris nata poſt tuſſim non caput, ſed pleuram & pulmonem nunc invaderet; & tamen in curatione ſimilia requirebat auxilia, ac ante adhibita fuerant, dum caput peteret. a) Patet ergo & ad hanc pleuritidis cauſam in praxi attendendum eſſe.

a) *Sect.* V. Cap. V. p. 305.

Aer frigidus. Dum a valido labore æſtuant homines, vel & a calore foci multum incaluerunt, videmus totam cutem externam rubere, ſigno manifeſto, ſanguinem rubrum vaſa multa ingreſſum eſſe, in quibus naturaliter eſſe non ſolet, dum corpus quieſcit, vel in aëre non adeo calido verſatur: error ergo loci tunc adeſt. Si ergo per aërem frigidum ſubito tunc conſtringuntur vaſa, & adunentur magis liquidorum in vaſis hærentium moleculæ, liquida craſſiora in vaſorum minorum anguſtias impulſa hærebunt, fiet obſtructio, inflammatio, & quæ inde ſequuntur mala. Pleuritides frequentes a tali cauſa natas obſervaverunt omnes practici; uti & arthritides, rheumatiſmos, & quidem difficillime curabiles.

Om-

Omnium autem maxime nocet aër frigidus per angustas rimas violente actus in nudatum corpus, quia tanto major est frigoris actio in corpus nostrum. Verum quidem est, aërem follibus celerrime expulsum in pulbum thermometri etiam satis sensilis non efficere, ut liquor in thermometro descendat; sed per talem aëris motum difflatur aër, jam calescens a vicinia corporis, & omni momento applicatur aër frigidus, & hinc augetur frigoris sensus & effectus. Hinc tot rustici, bajuli & similes homines talibus morbis pereunt, quod a valido labore æstuantes nudo fere corpore quiescant, & gratam adeo auram frigidiusculam captent. Imo *Sydenhamus* a) putabat, plures homines ab hac causâ perire, quam peste, gladio, & fame.

a) Sydenh. Sect. VI. Cap. I. p. 325.

Potus gelidus. Majus adhuc inde discrimen, quam ab aëre frigido. Certe nunquam pleuritides magis sævas & citius lethales vidi, quam a potu gelido affatim hausto, æstuante corpore. In nobili juvene, pilæ lusu dum calesceret totus, potus gelidissimæ aquæ cum succo limonum intra trihorium lethalem

pleuritidem fecit. *Diemerbroeckius* a) obſervavit, hominem, qui media æſtate fœno colligendo occupatus erat, & valde ſudabat, illico pleuritidem intra paucos dies lethalem contraxiſſe, dum frigidam cereviſiam largo hauſtu biberet. Innumera talia apud practicos occurrunt, quæ hoc confirmant; facile autem intelligitur ratio. Sanguis de ſaniſſimi hominis vena inciſa in aquam frigidam exſtillans concreſcit illico in ſtrias fere ſolidas. Verum dum affatim gelidus potus ingurgitatur, œſophagus, in ſuo decursu truncis intercoſtalium arteriarum quarundam ſatis propinquus, eo repletur, dein totus ventriculus potu frigido diſtentus adjacenti diaphragmati, hepati, lieni &c. ſubitum & inſolidum frigus communicat; cavæ aſcendentis truncus, ingens ſinus dexter cordis, tenui tendinoſæ parti diaphragmatis incumbens, ſimiliter afficiuntur, ſanguis ibi collectus ad concretionem diſponitur, qui paulo poſt per pulmonis anguſtias tranſire debebit. Non mirum ergo toties lethalem ſubito pleuritidem & peripneumoniam a tali cauſa naſci, uti & ſimilia in viſceribus ventriculo adjacentibus mala. Augetur periculum, quod per validos corporis motus, ſudore excitato, liquidiſſima

ſan-

ſanguinis pars diſſlata fuerit, & quod aqua frigida ſimiliaque non tam cito a calore corporis noſtris incaleſcant, quam aër. Demonſtravit enim *Celeberrimus Boerhaavius* b), eo citius caleſcere ab eodem igne corpus, quo rarius eſt.

a) Anotom. L. II. Cap. XIII. p. 309.
b) Chemia Tom. I. p. 201.

Summo ergo jure *Lancifius* a) inter ſubitaneæ mortis cauſas numeravit frigidi potus vel balnei uſum, ex calefacto corpore.

Materia denique quæcunque acris in humorum maſſa oberrans, ſi ad thoracem deponitur, pleuritidem excitat. Sic in variolis obſervavit *Sydenhamus* a), licet confluentes vix unquam diem quartum præſtolentur, ſed citius erumpant, tamen quandoque acutiſſimum dolorem, nunc in regione lumborum, nunc in latere, *qualis pleuriticos vexat*, fieri & tunc variolas ſerius erumpere; morbi nempe materia, quæ ſuperficiem corporis verſus tendere debebat, aliis locis impacta, ut videtur. Inprimis autem talia ſymptomata tunc oriuntur, dum calido nimis regimine variolis decumbentes tractantur. In morbilis idem ob-

obtinet, ſed ibi major peripneumoniæ metus eſt, uti *Sydenhamus* paſſim obſervavit.

a) Sydenh. Oper. Sect. III. Cap. II. p. 166.

Symptomata pleuritidis.

Sequitur jam deſcriptio pleuritidis per ſua phænomena, quæ paulo ante morbum incipientem, in ipſius morbi initio, & dein per reliquum morbi decurſum obſervantur. Horum autem phænomenorum cognitio ſimul diagnoſin format. Propriis ex obſervatis hæc collegit *celeber. Boerhaavius*, & ſimilia etiam inveniuntur apud *Sydenhamum* a). Appetitus quandoque validus præcedit, ita ut mirentur acriorem ſolito famen, nondum tunc aliquid mali percipientes. Paulo poſt incipiunt rigere, vires labeſcunt, & ſequuntur omnia mala, quæ febrim incipientem comitari ſolent. Hactenus nullum adhuc ſignum pleuritidis adeſt. Verum poſtea dolor latus alterutrum occupat, quandoque dorſum, pectoris anteria, & omnia illa loca. Certum autem tempus, quo ille dolor memorata ſymptomata ſequitur, non eſt: in quibusdam citius, in aliis ſerius apparet. Obſervavit Ill.

Swie-

Swietenius quandoque prima incipientis morbi hora dolorem ſatis acutum; & contra obſervavit pleuritides verno tempore anni 1729. ubi ſecundo die morbi dolor oriebatur, neque adeo acutus tamen, & interim omnes tales ægri admodum periclitabantur. Urina illa craſſa, jumentorum dicta ab initio morbi aderat, pulſus incipiebat vacillare, paulo poſt ſequebatur delirium, ſtertor in pectore, mors. Quamvis autem dolor ille, ſi acutiſſimus fuerit, magnum diſcrimen notet, & citam poſcat opem, tamen non confidendum eſt, licet in initio levior tantum dolor urgeat. Sic vidit pleuriticum, cui prima die morbi mitis tantum dolor aderat, qui tamen quarta die periit, cum omnibus ſignis natæ gangrænæ, licet efficax & prompta medela adhibita fuiſſet. Similes pleuritides videtur & *Hippocrates* b) obſervaſſe, pariter ſatis periculoſas; dicit enim: *Quod ſi per initia molles quidam detinuerint dolores, poſt quintum vero & ſextum diem acuti, illas ad duodecimum (diem) finiuntur, & non admodum effugiunt, periculum autem maximum eſt usque ad ſeptimum (diem) imo ad duodecimum; poſt hoc autem ſanantur. Quæ vero ab initio quidem molles ſunt, poſt ſeptimum autem & octavum acutæ;*

ad

ad decimum quartum diem decernunt, & sanantur. Similia & habentur in prænotionibus coacis. c)

a) Sydenham. oper. Sect. *VI.* Cap. III. p. 330.
b) Hippocrat. de morbis L. III. *Cap.* XV. Charter. Tom. VII. p. 590.
c) Id. Nro. 387. Chart. Tom. VII. p. 873.

Dum autem ille dolor adest, respiratio valde læditur: debent enim in inspiratione costæ a se mutuo deduci, adeoque inflammatæ illæ partes distrahuntur cum summo doloris augmento. Ob hanc causam miseri ægri vix inspirant, adeoque vix dilatant pulmonem, unde cor dextrum se libere evacuare nequit. Sanguis ergo a capite per venas jugulares redux, non poterit locum invenire in sinu & auricula dextris jam plenis; hinc interiora encephali a turgidis vasis comprimuntur, ægri tales torpidi & hebetes fiunt, & minus dolorem sentiunt, pulmo sensim magis magisque impletur, & sæpe subito suffocantur, dum imperiti, ægri quærelis non moniti amplius, morbum mitescere credunt, cum summum adest periculum. Pulsus, qui antea velox, plenus & durus erat, jam incipit mol-

lis

lis & parvus fieri, imo & tardior quandoque, licet rarius, plerumque enim celeriter micat debilis talis pulſus. Videantur illa, ubi pluribus agebatur, quæ ſequuntur impeditam pulmonis per aërem inſpirantum dilatationem, i angina inflammatoria. Notandum enim eſt, quod pleuritici in morbi ſummo vigore non pereant ob inflammationem pleuræ, vel partium coſtis accumbentium vel incumbentium, ſed ob reſpirationem impeditam repleto pulmone ſuffocentur.

Inde deſinit in varios eventus &c. omnia, quæ de diverſo exitu inflammationis dicta fuerunt ad numeros hic citatos, etiam in pleuritide locum habent; & ſtatim videbimus, quoquomodo etiam diverſa curatio adhiberi debeat; prout blanda reſolutio inflammationis, ſuppuratio, gangræna &c. ſequuntur.

Verum & natura loci, quam pleuritis occupat, attentionem meretur. Si enim exteriores pectori incumbentes partes affectæ fuerint tantum, minus diſcrimen eſt, & magis ſperari poterit puris, ſi forte ſuppuratio ſequatur, exitus verſus exteriora; contrarium obtinet, ubi malum profundius reconditur. Præterea maximum periculum in pleuritide pendet inde, quod ob doloris acerbitatem li-

be-

libera inſpiratio impediatur. Verum in phyſiologicis demonſtratum eſt, quod, prima coſta per ſubclavium muſculum fixata, novem ſequentes inſpirationis tempore eleventur ſurſum, & vertantur extrorſum: ita tamen ut ille motus longe major obſervetur in mediis coſtarum arcubus, quam circa ſternum, aut prope vertebras. Ergo & pleuriticis occupans latera, ceteris paribus, maximum dolorem facit. Simul facile patet, pleuritidem eo pejorem eſſe, quo plura ex locis enumeratis occupat.

Prout impetus circulantis liquidi violentior. Quænam mala ex nimia velocitate motus circulatorii humorum fiant, patuit ex illis, quæ ad numeros in textu poſitos habentur. Verum & in hiſtoria inflammationis dictum fuit, nunquam benignam inflammationis reſolutionem exſpectari poſſe, ſi motus humorum per vaſa admodum citatus fuerit, ſed tunc ſemper ſuppurationem, vel & gangrænam metuendam eſſe; quod ergo & in pleuritide, utpote morbo inflammatorio, verum erit.

Aut major malignitas ipſius morbi principis. Pleuritidis enim febrim acutam comitem habet; & hæc febris, ut modo dictum fuit, ſæpe notabili tempore præcedit dolorem lateris.

ris. Morbi principis ergo nomine intelligitur hic febris acuta continua, pleuritidem veram comitans semper, præcedens sæpe.

Hæc autem febris non semper similis est in diversis constitutionibus epidemicis, uti optime *Sydenhamus* passim in suis operibus monuit; & speciatim in pleuritide hoc notandum esse sedulo docuit. a) Prout ergo hæc febris plures functiones lædit, prout vires citius prosternit, prout pejoribus stipatur symptomatibus, eo periculosior erit pleuritis. De illis autem signis, quibus major minorve malignitas febris acutæ continuæ cognoscitur, dixit Illust. van *Swieten* ad §. 734.

Imprimis respirationis & pulsus vitia. Ab his enim vita pendet, unde & vitales actiones solent vocari. Verum hic morbus ex sua indole respirationem lædit, adeoque merito ejus magnitudo a majori minorive respirationis impedimento desumitur. Sed ut sanguis libere e venis pellatur in cordis cava, & inde moveatur per arterias, requiritur in homine nato liber ex corde dextro in cor sinistrum sanguinis per pulmonem transitus, qui supponit alternam pulmonis expansionem & contractionem, quæ a vitali respiratione fit. Si ergo eo usque impedita sit respiratio in

pleu-

pleuritide, ut liber ſanguinis per pulmonem tranſitus admodum minuatur, pulſus fiet celer quidem, ſed parvus ſimul; aucto malo, incipiet intermittere, & ſæpe ſubita tunc mors ſequitur. Unde *Galenus* a) dixit: *maximum ſane indicium letbalis pleuritidis eſt, ſi pulſus ſit valde durus, & ſimul parvus, & ob ambo bæc, caloremque, celeberrimus: nullus ſervatus eſt pleuriticus cum tali pulſu.*

a) Galen. de praeſag. ex pulſibus Lib. IV. cap. V. Chart. T. VIII. p. 299. 300.

Ut & excretorum. Urinæ nempe, fœcumque alvinarum. Sed inprimis ad ſputa hic attenditur, quæ plurimum docent de conditione morbi, prout nempe in ſalutem vel interitum tendit.

Exitus pleuritidis in ſanitatem. Reſolutio benigna.

Cum vera in pleuritide inflammatio obtineat, omnia requiſita ad reſolutionem inflammationis & hic locum habebunt. Cognoſcimus autem illa requiſita, quæ ſpem faciunt reſolutionis, adeſſe, ex ſymptomatum benigni-

nitate. Si enim talis æger laxæ & humidæ temperiei ſit, dolor lenis ſit, reſpirationem non multum impediens, febris levis, non magna in pulſu durities, nulla ſymptomata ſint, quæ functiones alias læſas demonſtrent, excreta non recedant a naturali conditione, novimus, reſolutione curatam iri hanc pleuritidem. Non eſt tunc opus venæ ſectione, imprimis larga, cum non exorbitet febrilis motus, ſed talis ſit, qui ſufficiat ſubigendæ morbi cauſæ. Interim prudentia requirit, ut medicus in initio talis morbi ægrum ſæpius adeat, & omni cum cura exploret, an idem maneat morbi ſtatus, an vero augeatur dolor, & reliqua ſymptomata, tuncque alia curandi methodus inſtitui debeat. Unde etiam prudenter *Galenus* monuit. a) *Si æger primo die habeat manifeſtiſſima ſalutis ſigna, huic omnino in primo quaternario finietur morbus. Utrum vero per criſin, vel ſolutionem, magnitudine & parvitate diſtinguitur. Magni enim morbi judicantur omnino; qui autem parvi, ſolvuntur ſolum.*

a) Galenus Lib. III. de criſibus Cap. IV. Chart. Tom. VIII. p. 433.

In

In tali casu optima medicina est, nullam medicinam facere, tenui tantum victu sustinere ægri vires, subministrare sanguini copiam diluentis & leviter attenuantis liquidi, fovere locum dolentem mollissimis remediis, ut vasa facile dilatabilia transmittant illud, quod hæret.

Evacuationes criticæ.

I. *Evacuationes sanguineæ.* Numerosa satis observata in morbis acutis inflammatoriis, uti & in pleuritide, docent, causam materialem morbi loco moveri quandoque, & alias partes corporis occupare sæpe satis subito. Sic aliquoties in pleuritide periculosam talem metastasin versus caput observavit *Swieten*, silente omnino lateris dolore, qui denuo recruduit, liberato capite. Verum videtur & contingere eandem illam causam materialem morbi, loco motam, per vasa aperta sponte natura in quibusdam locis corporis viam invenire. Ita *Aretæus* a) de pleuritide agens, postquam enumeravit illa quæ contingunt morbo in perniciem tendente, dicit: *At si in melius vergat, sanguinis e naribus eruptio cum impetu, tumque repente morbus solvitur.* Adstipulatur

tur etiam *Galenus*, poſtquam enim monuerat, phrenitidem quidem hæmorrhagia narium ſolvi, lethargum vero & peripneumoniam non gaudere hac evacuatione, addit ſequentia. *Inter ipſas autem pleuritis medium locum obtinet: minus enim quam peripneumonia & lethargus profluvio ſanguinis ſolvitur.* b) Verum optime monuit *Trillerus* c) plerumque ſervari pleuriticos naturæ beneficio, etiam neglecta ſanguinis miſſione, ſi intra primum & quintum diem ſanguis purpureus floridusque affatim de naribus profluat. Quod etiam aliquoties *Ill. van Swieten* obſervavit; vidit & ſerius hæmorrhagiam narium ortam, cum levamine quidem morbi, ſed non cum perfecta ſolutione; ita ut morbus in longum excurreret poſtea, & multis aliis evacuationibus indigeret, antequam ſanaretur.

a) Aretæus de cauſis & ſignis morb. acut. Lib. I. Cap. X. p. 9.
b) Galenus de criſibus *Lib.* III. *Cap.* III. Charter. Tom. VIII. p. 430.
c) Triller de pleuritide p. 7.

Idem videtur merito exſpectari poſſe a ſimili ſanguinis evacuatione per vaſa hæmorrhoi-

hoidalia, quod & *Trillerus* a) notavit, forte tamen non adeo frequenter contingit: saltem in plurimis, quos hoc morbo decumbentes tractavit Swiet. non novit unicum fuisse, cui morbi solutio per hæmorrhoidalem evacuationem contingit. Tamen veteres medici monuerunt, hæmorrhoides a pleuritide præservare, & a suppressis male hæmorrhoidibus pleuritidem quandoque fieri. Ita *Hippocrates* habet sequentia: b) *Qui hæmorrhoides habent, illi nec pleuritide, nec peripneumonia &c. corripiuntur.* Testatur & se vidisse *Galenus* c), a suppressis hæmorrhoidibus pleuritide correptos fuisse multos. Adeoque non sine ratione & ad hanc evacuationem in hoc morbo attendendum jubent summi in arte viri.

a) Triller de pleuritide l. c.
b) Hippocrates de humoribus textu XXVI. p. 576.
c) Galenus Comment. III. in lib. Hippoc. de alimento. Chart. Tom. VI. p. 271.

II. *Urina.* Monuerat *Hippocrates* a) *quod urina subrubra in pleuriticis habens læve sedimentum, securam judicationem significat.*

Verum ibi videtur eam potius pro signo habuisse bonæ coctionis, quam quidem pro eva-

cua-

cuatione absoluta omnis materiæ morbosæ. Interim tamen, si copiosa fluat talis urina, & plurimum talis sedimenti habeat, cum levamine omnium malorum, certi sumus materiam morbi evacuari. Præcipue autem spem habemus morbi sic finiendi, si in initio hoc contingat, antequam per morbi longitudinem plura in corpore a sanitate recesserint. Si enim serius fiat, rarissime per solas urinas sanatur pleuritis. Vidit hoc *Illustris Swietenius* in pleuritico, cui sexto die morbi incredibilis copia urinæ profluerat non tantum cum facilitate, sed & cum oblectamento; & licet tantam copiam laudabilis sedimenti haberet urina emissa, levamen quidem fiebat insigne morbi, minime vero integra sanatio. Videantur & illa, quæ de tali urina dicta sunt, dum de peripneumonia agebatur.

a) Coac. praenot. N. 586. Chart. T. VIII. p. 887.

III. *Alvus.* Notavit & *Aretæus* a) salubrem quandoque in pleuritide esse per alvum factam evacuationem; imo videtur & satis fortem alvi perturbationem laudasse, cum utatur hac phrasi κοιλίης αρακδεισης χολωδεων; uti etiam de peripneumonia, simile de eva-

cuatione ſanata, agens b) utitur εκταραξις vocabulo. *Hippocrates* autem, talibus utitur vocabulis, quæ moderatam & lenem tantum alvi evacuationem ſignificant. Vidit Ill. *Swietenius* talem alvi evacuationem quandoque inſigniter profuiſſe, etiam poſt quartum diem. Et videtur *Aretæus* c) hoc etiam notaſſe, nam addit modo dictis ſequentia. *Si autem a ſecunda hebdomate hæc incohantur, decimo quarto die ſanantur.* Notandum vero eſt, quod in initio pleuritidis quandoque adſit fluxus alvi ſymptomaticus, noxius & ſæpe periculoſus, minime levans pleuritidis ſymptomata, unde *Aretæus* d) ſalutari futuræ evacuationi huic adjungit ſequentia: *reſpiratio conquieſcit: mens recte ſe habet, febres minuuntur, cibos appetunt.*

a) Aretæus de cauſis & ſignis morbor. acut. L. I. Cap. X. p. 9.
b) Ibidem L. II. p. 11.
c) Ibidem L. I. Cap. X. p. 4.
d) Ibid.

Hæc eſt ratio, quare talem diarrhæam ſymptomaticam initio morbi ſupervenientem, tanquam periculoſam & plerumque, non tamen

men ſemper, lethalem damnaverit eruditiſſimus *Trillerus* a); ſæpius vero ſalutarem fuisſe in morbi progreſſu, mitiganti jam ſævioribus ſymptomatibus, & propriis & aliorum obſervatis confirmaverit.

a) Triller de pleuritide p. 5.

IV. *Abſceſſus.* De his in peripneumonia dictum eſt.

V. *Dolor lateris ſi tranſit ad humerum, manum, dorſum, cum ſtupore, dolore, gravitate illarum partium.* Docuerunt fideles obſervationes, in morbis acutis inflammatoriis morbi materiem aliquando locum mutare; eventus autem bonus creditur hujus metaſtaſis, ſi ad talem partem corporis fiat, quam minori cum periculo occupare poteſt. Ita in phrenitidis hiſtoria notatum fuit, dolorem ad pectus, pedesque, vel & vehementem tuſſim ſupervenientem ſæpe ſolvere malum; pluribus ex libris epidemicorum *Hippocratis* caſibus hoc tunc demonſtratum fuit. Sed & in *anginæ* hiſtoria probatum fuit, cauſam materialem morbi locum mutare & in alias partes tranſire quam frequentiſſime. Verum tunc ſimul conſtitit, non ſemper felici eventu ca-

 lem

lem metastasin fieri, quamvis etiam materia morbi ad loca satis dissita, & quæ minus periculosa videbantur, derivantur. Sola ergo sollicita observatio decursus morborum docere poterit, quænam morbi metastasis utilis sit, & versus quæ corporis loca tuto fieri possit.

Verum quidem est, in pleuritide magnum periculum imprimis ideo adesse, quod ob doloris acerbitatem inspiratio impeditur, adeoque suffocationis metus sit; vel si mitior fuerit morbus, nec resolvendus tamen, suppuratio periculosa timeatur, ob empyematis metum. Adeoque multum boni sperandum foret, si materia morbi locum mutaret: atque ad hunc scopum videtur & *Hippocrates* a) curam dixisse, dum suadet in curatione pleuritidis siccæ, post venæ sectionem & alia remedia, latus affectum tegere *fomentis tepentibus extrinsecus admotis, ut morbus per totum corpus dispergatur.* Patuit tamen fidelibus observatis multum differre pro felici eventu versus quas partes hæc metastasis fiat. Ita *Hippocrates* b) dixit: metuendas esse illas pleuritides, *in quibus dolores sursum vergunt.* Similia his alio etiam in loco c) habet. Hæc & confirmantur illis, quæ de phrenitide symptomatica, a tali metastasi orta, notavit Ill. *Swietenius.*

a)

a) Hippocrat. de morb. Lib. I. Cap. XI. Chart. T. VIII. p. 547.
b) Coac. praenot. 381. T. VIII. p. 873.
c) Coac. praenot. Nro. 73. chart. T. VIII. p. 856.

Verum & obſervavit *Ill. Swietenius*, dolorem ex latere verſus abdominis inferiorem partem iviſſe, absque bono eventu, nam poſt duodecim horas denuo latus occupabat dolor, & quidem longe acerbior, quam antea. In robuſto homine pleuritico, decima tertia die morbi, dum jam in melius vergere videbantur omnia, ſubito oriebatur dolor intenſus in pede ſiniſtro, absque ullo tumore, vel rubore, urina reddebatur tenuis, poſt aliquot horas delirabat, jacebat aphonus, moriebatur. E contra in alio viro, dum poſt binas venæ ſectiones ſatis largas, fomenta calida nocte dieque applicata &c. jam mitigaretur admodum dolor pleuriticus, quarto die morbi oriebatur dolor validus circa pedis utriusque pollicem prope metatarſum; & ſtatim dolor lateris & febris aberant omnino, & feliciſſime ſanabatur. Notandum etiam, quod nullam unquam podagram antea paſſus fuerit ille æger, neque quantum novit, poſtea hoc morbo laboraverat. Quam diſpar eventus a metaſtaſi ad partes corporis inferiores!

Ubi

Ubi autem humerum, ſcapulas, dorſum dolor occupat cum levamine doloris pleuritici manifeſto, læta prognoſis eſt, & evadunt fere omnes, ſaltem non meminit *Swietenius*, ſe ullum vidiſſe pleuriticum, qui periit hoc morbo, dum illa metaſtaſis ad has partes aderat. Quam rem & ſuis obſervationibus confirmat *Eruditiſſ. Trillerus* a). Forte notari meretur, quod illi dolores ſæpius contingant ſexto die morbi, ſaltem ſic vidit relegendo hiſtorias pleuriticorum, qui illius curæ commiſſi fuerunt; & apud *Trillerum* ex octo ægris, quibus illi dolores contigerunt, quinque perceperunt hanc morbi mutationem ſexto die. Præterea non videtur illa metaſtaſis morbum tollere, ſed potius ſalutaris criſis eſſe nuncia.

a) Trillerus de pleuritide p. 5. Ex hiſtoriis aegrorum ibid. p. 69. 77.

Hippocrates videtur hæc ſymptomata, pleuriticis quandoque contingentia, obſervasſe quidem, ſed non monet, inde præſagium fere certum pro ſalute ægri deſumi. Ita enim habet a): *Quod ſi dolor quidem ad claviculam ſui det ſignum, vel ad brachium gravitas; aut* cir-

circa mammam, aut ſupra ſeptum transverſum, ſecare juvat internam, neque copioſam ſanguinem detrahere cunctandum eſt, usque dum multo rubicundius, aut pro puro & rubicundo lividus fluat, utrumque enim contingit. Similiter & venæ ſectionem commendat in hoc caſu alio loco ejusdem libri b). Interim felicem curam vidit *Ill. Swietenius*, uti & *Eruditiſſ. Trillerus* ſuis obſervatis confirmat, licet nulla venæ ſectio inſtitueretur, poſtquam hi dolores aderant in humeris, ſcapulis, & dorſo. Tamen & alter textus *Hippacratis* in eodem libro habetur c), qui videtur docere, quod aliquid boni a dolore circa claviculam in pleuritide exſpectaverit. Dicit enim: *At ſectio (venæ) non ſimiliter dolorem ſolvit, niſi dolor ad claviculam pertingat.*

a) Hippocrat. de acutor. victu, text. 10. Chart. T. XI. p. 41.
b) Ibidem. p. 159.
c) Ibidem textu 8. p. 41.

Forte in quibusdam epidemicis conſtitutionibus & aliæ metaſtaſis ſalutares fiunt in pleuritide. Ita *Baglivius* a) in variis Italiæ Xenodochiis obſervaſſe ſe teſtatur, omnes pleu-

pleuriticos sanari, quibus interiora auris dolor occuparet, deinde abscessus fieret, & pus erumperet. Præsertim & Romæ, dum post rigidissimam brumam sævissime pleuritides grassarentur.

a) Baglivii Praxis med. L. I. cap. IX. p. 54.

VI. *Sputa. Aretæus* a) laudavit sputa in hoc morbo, si tertia die incipiant, & facile prodeant, levia, æqualia, humida, rotunda. Vidimus antea, quod siccas pleuritides habuerint omnium difficillimas antiqui, & quod veræ pleuritidi propriam hanc excretionem crdeiderit *Hippocrates*, dum monet spuriam pleuritidem per sputa non expurgari. Licet autem *Sydenhamus* b) expectorationi materiæ morbosæ in pleuritide non confidere videatur, sed per venæ sectionem potius curam aggredi voluerit, tamen, dum pleuritidis symptomata erant, c) fatetur, quod *febris cum funesto comitatu omni, tussi scilicet, sputo sanguinis, dolore &c. pro ratione liberioris materiæ morbificæ expectorationis, sensim minuantur.* Locum tamen affectum in hoc morbo pleuram vel musculos intercostales statuit, de qua sede pleuritidis actum fuit.

a)

a) Aretaeus de morb. acut. Lib. I. cap. X. p. 9.
b) Sydenh. Op. Sect. VI. cap. III. p. 337.
c) ibidem p. 381.

Debet autem ſputum eſſe liberale, ſatis magna copia excretum & facile; ſemper enim fere per tuſſim de ſuperficie interna tracheæ aliquid muroſi abraditur, verum hoc non minuit morbi cauſam. Illam autem minui novimus, ſi cum ſputo prodeunte minuantur dolor & reliqua ſymptomata, adeoque manifeſtum levamen percipiant ægri. (Inde *Hippocrates* a) generalem hanc regulam poſuit.) omnia ſputa mala eſſe, quæ dolorem non ſedant, omnium vero optima eſſe illa, quæ dolorem ſedant.

a) In prognoſt. ſentent. chart. T. VIII. p. 645.

Sine coryza. Si enim hæc adſit, ingens copia ſputorum ſæpe prodit, quæ ſputa nihil faciunt ad materialem cauſam pleuritidis, ſed tantum mucum catarrhoſum evacuant. Videtur & *Hippocrates* ſimile quid indicare voluiſſe, ubi de ſputis bonis & malis, quæ in morbis apparent, agit: a) ſubjungit enim ſequentia: *Coryzas autem & ſternutationem in om-*

omnibus circa pulmonem morbis & præcessisse, & consequi, malum.

a) In prognost. sentent. 49. p. 653. & coac. praes not. Nro. 399. ibidem p. 875.

Mox puriforme, album statim, vel ante diem quartum. Pluribus egit *Ill. van Swieten* de his sputis, & conatus fuit rationem dare, quare puriformia dicantur, etsi alium colorem habuerint, quare in albedinem cito mutari debeant. Vidit sæpius album illud coctum puriforme sputum sanasse pleuritidem: imo in muliere jam quinto mense gravida, dum secundo pleuritidis die sputum illud aderat copiosum, omnia symptomata levabantur illico, & quarta die morbi jam sana fuit. Primo morbi die venæ sectio instituta erat, nec opus fuit illam repetere. Quod imprimis notandum, quia *Hippocrates* a) absolute lethalem in gravidis hunc morbum pronunciavit; & b) alibi omnem morbum acutum in gravidis lethalem dixit. Quamvis autem jure acerbam hanc prognosin limitaverit *Celsus* c) solummodo docens: *mulier quoque gravida acuto morbo facile consumitur;* tamen certum est, pleuritidem graviditatis tempore natam semper esse magis periculosam.

a)

a) Hippocrates de morbis L. I. Cap. II. Chart. T. VII. p. 533.
b) — Aphor. 30. Sect. V. Chart. T. IX. p. 213.
c) — Lib. II. Cap. VI. p. 55.

Interim tamen non ſola illa ſputa alba cocta proſunt, ſed & flava illa cum pauco ſanguine admiſto. Vidit *Ill. Swietenius* & quandoque ſputa tenacia, rubro ſanguine colore tincta, æquabiliter cum levamine in initio hujus morbi excreta. *Galenus* a) explicans textum Hippocratis, ſatis certe difficilem, & ob brevitatem obſcurum, quo vetat ſanguinis miſſionem in illis, qui ſanguinolentus exſpuunt, ſi adſit pleuritis, dicit ſe vocatum fuiſſe ab ægro, qui credebat ſe hæmoptoicum eſſe, cum *ſanguinolenta a latere ſpueret*; licet autem habitus & vires hujus ægroti tales esſent, ut venam ſecuiſſet illi, ſi hæmoptyſi laboraſſet, illud non feciſſe, quia pleuritis mitis erat; additque, hunc ægrum aliis remediis congruis, absque venæ ſectione, levatum fuiſſe: *mitiſſimæ enim pleuritides ſunt, in quibus ſanguinolentem ſpuitur.* Ideo *Hippocrates* maxime ſalutares illas pleuritides affirmavit, in quibus flava cum parco ſanguine ſputa prodirent, quas ideo *biliaſas ſimul &*

ſan-

sanguineas pleuritides vocavit, & ut plurimum nono vel undecimo die judicare dixit. Biliosa autem dicuntur hæc sputa a colore flavo, nam in *Prognostico*, & in *Coaca Prænotione* Nro. 390. idem illud sputum, quod paulo ante *biliosum* vocaverat, *flavum* appellat. *Duretus* c) autem in Commentariis ad hunc locum monet, se non sine mœrore aliquoties vidisse, sanguinis missione tunc instituta a medicis imprudentibus, suppressa hæc sputa fuisse lethali cum eventu. Idem & suis observatis confirmat *Baglivius*. d)

a) Galenus Comment. 3. in 5. Epid. chart. T. IX. p. 472.
b) In coacis prænot. Nro. 387. chart. Tom. VIII. p. 873.
c) In coac. Hipp. p. 252.
d) Baglivii Praxis med. Lib. I. cap. IX. p. 36.

Cura pleuritidis levioris.

Ubi ergo pleuritide laborantem accedit medicus, primo attendit, an morbus adeo benignus sit, & levis, ut blanda resolutio exspectari possit. Symptomata levia, ægri laxa temperies (in duris enim & exercitatis cor-

po-

poribus talem morbi exitum vix ſperare licet) hoc docebunt; ſi autem morbi major intenſitas adſit, ita ut crura per ſimplicem reſolutionem non ſit exſpectanda, ſed requiratur, coctio, & excretio materiæ morboſæ, tunc ſollicite indagandum, an artis auxiliis validis hic opus ſit v. g. ſanguinis miſſione larga, clysmatibus, aliisque, quæ nimium febris impetum moderari valent.

Deinde attendendum, an quædam phœnomena morbi doceant, naturam moliri talem coctæ materiæ evacuationem, vel depoſitionem ad alia loca minus periculoſa. Ubi hac de re conſtat, cum obſervationes practicæ docuerint ab omni ævo, ſic cito & tuto curari hunc morbum, facile patet, nihil eſſe mutandum, ſed ſtatum præſentem conſervandum eſſe, quod fit ſequentibus.

I. In omni morbo vitæ & viribus conſervandis conſulendum eſt, ad quem ſcopum cibi & potus ſerviunt. Verum hæc ingeſta non reſtituunt illa, quæ per vitæ actiones perierant de corpore, niſi prius ſubacta, & mutata fuerint per vires corporis ſuperſtites. Cum ergo per morbum, etiam leviorem, langueat corpus, & multæ functiones minus prompte perficiantur, quam in ſanitate, patet facile,

ta-

talia in victu subministranda esse, quæ sanis humoribus jam fere similia subigi possunt quam facillime. Pleuriticis *Hippocrates* a) ptisanæ hordeaceæ cremorem dabat, chylo jam ferme similem, ut humectaret corpus simul, & aleret. Similia laudavit, ut & avenacea decocta *Trallianus* b), & generatim talia exhibenda jussit, quæ humectent, nec tamen refrigerent, aut calefaciant vehementer. Unde & simile moderamen aëris necessarium erit. Cum autem vigiliæ turbent etiam corpus firmum & sanum, somno potius indulgendum est; qui, si sponte non adsit, emulsis farinaceis ex amygdalis, seminibus frigidis &c. conciliari poterit, additis levissimis anodynis, inprimis illis, quæ ex papaveris erratici floribus parantur, quæ nunquam nocent. Validiora enim, & narcotica hic non requiruntur, cum soleant sæpe multas corporis excretiones sistere; huc etiam spectant corporis & animi quies, ut turbetur nihil, sed omnia pacata sileant in corpore, dum natura coquendæ & excernendæ materiæ morbosæ intenta est. Nec alia requiruntur remedia, quam quæ diluendo omnes humores reddunt meabiles, & laxando vasa disponunt, ut facile transmittant humores dilutos.

II.

II. Quæ modo dicta ſunt, conveniunt in omni excretione, vel metaſtaſi materiæ morboſæ: verum & alia adhiberi poſſunt, & debent, ubi conſtet de loco criſeos.

Si ergo (107. N. 1.) medicus noverit ægrum pleuriticum ante hæmorrhoidibus obnoxium fuiſſe; vel dolor, rubor, pruritus circa anum, aut irritatus alvum deponendi conatus docuerint, tale quid exſpectandum eſſe, balneo vaporis, cataplasmatibus molliſſimis ano applicatis, clysmatibus ex ſimilibus paratis, continuo hæc loca foveri curat. Simul ac incipiunt prodire tumores illi varicoſi circa anum, foventur molliſſimis, dein lanceola pertunduntur, ut ſanguis exire libere poſſit. Omnium autem frequentiſſimo in uſu eſt, ut hirudines applicentur turgentibus hæmorrhoidibus, quæ animalcula inflicto vulnere ſanguinem exſugunt, & hoc ſatura decidere ſolent; tuncque pergunt ſanguinem ſtillare hæmorrhoides; imprimis ſi tunc temporis in ſedili perforato locetur æger, & partes hæ tepidæ aquæ vapore foveantur.

Si (107. N. 1.) obſervatur; ea locum habent, quæ de ſimili evacuatione in peripneumonia dicta ſunt. Cum autem per ſudorem imprimis, uti & per alias evacuationes,

avo-

avocetur quasi a renibus pars diluentis vehiculi, hinc & illæ vitandæ sunt. Hinc & laudatur aëris minor calor, quia sic & sudor cavetur, & etiam in sanis hominibus videmus, sub aëre frigidiusculo minus liquidi per cutis spiracula, plus vero per renes transire.

In casu (107. N. 3.) eadem valent, quæ supra de peripneumonia diximus.

In casu (107. N. 3.) qui cum illo in peripneumonia convenit, hinc eadem quoque agere oportet. Notandum autem est, tales abscessus cito aperiendos esse ; non enim requiritur hic maturatio crudi inflammatorii in bonum pus; verum illud pus alibi jam factum ad hæc loca deponitur tantum, & sic subito abscessus nascitur, licet cutis nullo modo mutata appareat. Locus autem talis post aperturam abscessus irritatur levibus suppuratoriis remediis, sicque prohibetur, ne statim iterum concrescat.

In casu (107. N. 5.) ubi nempe dolor ex latere transit ad humerum, manum &c. Fidelis observatio docuit levari sic morbum; adeoque ars conatur, per diluentia, alterantia &c. solvere, & mobilem reddere morbi materiem, simulque leni frictione, fomentis mollibus, emplastris, aromaticis, v. g. de labdano, meli-

liloto, vel ſimilibus, fovere, & leniter ſtimulare hæc loca; ut verſus illa facilius, & citius derivetur illud, quod per ſalutarem metaſtaſin huc deponendum erat.

Denique in ultimo dato (107. N. 6.) omnia hic eadem ſunt, ac in peripneumonia, quæ per ſputa curatur.

Præter has criticas evacuationes, aliæ etiam criſes a medicis ſubinde obſervatæ ſunt. *Amatus Luſitanus* a) refert pleuritidem ſævam ſine venæ ſectione die decimo quarto per ſudorem ſanatam. *Piſo* b) refert pleuritidem die 7mo. ſudore ſolutam, *Lotichius* b) pleuritides refert hæmmorrhagiis die ſeptima judicatas. *Foreſtus* vidit pleuritidem hæmorrhagia uteri die ſeptima ſolutam; aliam hæmorrhagia narium die 14to.

a) Amatus Luſitan. cent. 7. cur. 28.
b) *Piſo* de colluvie ſeroſa. p. 128. Edit. 4.

Cura pleuritis gravioris.

Vidimus in præcedentibus, quomodo ope naturæ pleuritis in ſanationem abeat, absque multo artis molimine; totum enim, quod medico in illis caſibus agendum incumbebat, erat.

ut in benigna resolutione statum præsentem conservaret, mutaret vero nihil. Ubi autem per coctionem & excretionem causæ sanabatur pleuritis, loca & vias, per quæ hæc excretio futura prævidebatur ex signis, laxare, emollire, fovere conveniebat, vires sustentare victu levi & blando, diluere humores. Hæc sufficiebant ad hunc scopum.

Verum si pleuritis valida sit, quod cognoscitur dolore acerrimo, respiratione admodum impedita, febre valida, tunc resolutio illa blanda sperari nequit. Si nulla spes sit, materiam morbi cito coquendam & excernendam esse, & præcipue, si nulla, vel pauca sputa absque levamine ullo prodeant, tunc sicca pleuritis dicitur, & concluditur facile sponte sua tam gravem morbum in sanitatem minime abiturum esse, imprimis si in robusto & exercitato corpore fuerit talis morbus. Oportet itaque ea remedia recensere, quibus tam gravis morbus feliciter plerumque profligatur.

I. Sanguis mittatur quantocyus, & quidem satis magna copia, habita tamen ratione ætatis, & virium in diversis ægris. *Sydenhamus* a) maximam spem in venæ sectione posuit, atque mox ubi accersebatur, sanguinem

e brachio *lateris adfecti* ad uncias decem aut circiter, mittendum curavit. Quandoque & majori copia tuto educitur, in prima præcipue venæ sectione.

a) Sydenh. Op. p. 265.

Quo proprius lateri adfecto sanguis educitur, eo citius salutarem effectum inde exspectare possumus. Confirmatur hoc notabili exemplo, dum in binis juvenibus, idem vitæ genus ducentibus, eodem temporis puncto, & ob easdem causas pleuritide correptis, experimenti gratia diversis in locis vena aperiebatur. Ille, cui vena in brachio lateris affecti aperta fuit, licet pessime deliraret, brevi ad se redibat, nec iterata venæ sectione opus habuit. Alter, cui et major copia sanguinis ex pede ejusdem lateris educta fuerat, nullum inde levamen sensit, & sequenti die altera venæ sectione in brachio lateris affecti opus habuit, unde illico mitigabantur omnia symptomata, & postea felici crisi liberatus fuit a periculoso morbo, sed biduo serius, quam prior. a)

a) Triller de pleuritide p. 30.

Ubi larga, & ſubita venæ ſectione opus eſt, præſtat ægrum ſupinum in lecto jacere, ſic enim absque animi deliquio facilius hanc jacturam feret, quam ſi ſederet erectus.

Quandoque contingit in pleuritide, adeo ſævum dolorem eſſe, ut pectus vix ullo modo dilatare poſſint; hinc pulmones parum ſanguinis transmittunt, atque ideo venæ quidem plenæ ſunt, ſed aorta paucum ſanguinem recipiens non urget magna vi ſanguinem venoſum, unde ex vena aperta ſæpe parum ſanguinis effluit. Simul ac vero ſuſpirando pulmonem magis dilatant ægri, vel tuſſiendo illum concutiunt, ſanguis cum impetu exit. Obſervavit hoc *Tulpius* a) in muliere pleuritica, & monet medicos, ut in ſimili caſu tuſſim excitent; ægri enim tales quandoque adeo ſævum dolorem patiuntur, ut a minima dilatatione pectoris fere convellantur. Unde illis perſuadere non poteſt ſæpe medicus, ut fortius inſpirent. Optimum tunc eſt vini, vel aceto calidi cochlear unum alterumve dare titulo cardiaci remedii, vel eadem naribus ſupponere; ſic enim invitis etiam excitatur tuſſis, & ſubito ſæpe dolor pleuriticus ceſſat, vel ſaltem inſigniter imminuitur.

a) Obſervat. media L. II. Cap. III.

Sanguis autem in prima venæ sectione non ad animi deliquium usque mittendus est, sed manifestam doloris imminutionem.

Alia quæstio est, quinam debeat esse sanguinis mittendi terminus. Alii in solo pulsu venæ sectionis mensuram posuere; is autem non raro fallit: in *gravi* e. g. pleuritide; in pueris, infantibus, fœminis, quibus irritabilis admodum fibra est. Hinc etiam *utroque* carpo pulsus explorandus est. Alii tantum sanguinis iteratis vicibus educendum esse existimant, donec omnis crusta phlogistica disпareat; at nullis certis legibus crustæ hujus apparentia adstringitur; imo in convalescentibus etiam crusta pleuritica sæpius visa est. Sola quoque doloris evanescentia de vena ulterius non secanda nos non omnino tutos reddit; nam dolore etiam evanido, imflammatio gravis forsan pulmones occupat. Omnium optime igitur terminus venæ sectionis ex libertate respirationis petitur; hac enim redeunte pulmones a phlogistica labe liberatos esse, certo colligimus.

Cum igitur omnis ferme salus a sanguinis missione peti debet, neque tenella ætas, neque senium, neque graviditas ab hoc præsidii genere medicum deterreat, cum certis ob-

obſervationibus hodie conſtet, etiam in his venæ ſectionem tuto inſtitui poſſe; tali tamen quantitate, quam ætas, & vires indicant. Nec abſtinuit a venæ ſectione Swietenius, ſi reſpiratio multum impedita erat, licet menſtrua fluerent, & bono quidem cum ſucceſſu. Pariter & in puerperis pleuritide correptis, licet lochia fluerent, ſanguinis miſſio profuit inſigniter, quod & ſuis obſervationibus confirmat *la Motte* a), qui a lochiis bene prodeuntibus, repetitas etiam in brachio venæ ſectiones inſtituit. Neque diarrhæa venæ ſectionem prohibet monente *Sydenhamo* b), „neque, quæ nonnunquam ſupervenit diarrhæa repetendis venæ ſectionibus obicem ponit; quæ quidem ipſa hac methodo brevi ſiſtetur, etiam non adhibitis remediis adſtringentibus„ ſtimulo nempe inflammatorio ad inteſtina converſo.

a) La Motte traité des accouchemens. *L.* II. ch. 21.
b) Sydenh. op. 266.

Etſi autem venæ ſectio mox in initio inſtituta impetum morbi ſummopere frangat, ea tamen etiam ſerius nonnunquam adhibita ſanitati ægros reſtituit. Non enim, ut de peri-

pneu-

pneumonia agens adnotavi, adeo definitus inflammationis terminus datur, ut adultiori etiam morbo sanguinem mittere non liceat. Constat enim plurimis observationibus cum fructu sero etiam in pleuritide sanguinem de vena missum fuisse. Notabile exemplum legitur apud *Hippocratem* a) de *Anaxione*, qui pleutide sicca decumbebat, frustra calidis fomentis tentata; insomnis erat, sexta morbi die delirabat, septima dies molesta erat, febris enim augebatur, nec dolores remittebant. Octavo die multum sanguinis educebatur secta in cubito vena, unde levamen doloris sensit, & post repetitas criticas evacuationes die 34 prorsus judicatus est. Hippocratis vestigia legit *Trillerus* b), & octavo die morbi libram circiter sanguinis, aperta brachii vena detraxit, cum levamine insigni; imo ineunte die nono, dum suffocationis metus ingruebat, denuo ex pede sex septemve uncias sanguinis emisit; sicque hunc aegrum ex orci faucibus eripuit.

a) Hippocr. Epid. 3. aegrot. 8.
b) Triller de pleuritide aegr. 7. 99.

II.

II. Methodus omnium antiquiſſima pleuritidem curandi videtur conſtitiſſe in applicatione remediorum externa ad locum dolentem. Antequam enim medicina in artis formam redacta fuit, ſinguli homines ſibi ipſis levamen dolorum quærebant tentando varia, vel ab aliis in ſimili malo cum ſucceſſu adhibita. Nihil autem videtur citius tentari debuiſſe, quam externa talia remedia, & hinc antiquiſſima monumenta horum inveniuntur. *Romæ* in *Aeſculapii* templo in inſula tiberina inventa legebatur & inter alias inſcriptio græca a), de *Lucio* quodam pleuritico, cui, deſperato ab omnibus habito, oraculum reddidit Deus, ut tolleret ex ara cinerem, & cum vino miſtum imponeret lateri; unde illum convaluiſſe legitur, & publice Deo gratias egiſſe. Notum eſt ex hiſtoria antiqua quod callidi ſacerdotes, ut templis ſuis & idolis majorem conciliarent celebritatem, remedia præſcripſerint credulis hominibus, ac ſi a numine revelata fuiſſent. Hæc videtur cauſa eſſe, cur *Hippocrates* b), qui antiquiſſimas illas obſervationes collegerat in ſuos uſus, in laterum doloribus inceperit curam morbi a calidis fomentis applicatis, etiam antequam ſanguinis miſſionem inſtitueret.

a)

a) Mercurialis de arte dynast. *L.* I. c. 1.
b) Hippocrat. de victu acutorum.

Magnum igitur dolorum lenimen præstant fomenta calida, atque cataplasmata emollientia thoraci dolenti imposita. Neque tantum prodest mollissimorum talium remediorum externa applicatio, quia per hæc felicissime inflammatio resolvitur, vero etiam, si vel sero nimis medela tentata fuerit, vel pejor morbi indoles in suppurationem vergat, tunc per eadem hæc applicata sic laxantur loca intercostalia, ut spes sit, pus versus exteriora duci posse, & periculosum empyema sic præcaveri.

Ea quoque sanguinis depletio, quæ scarificando, aut sanguisugis in latere affecto instituitur, inflammationi tollendæ apta est. Scarificationem tunc præcipue in peripneumonia suadet *Huxhamus*, a) si pulsus & vires ægri sanguinis ex vena majori emissionem haud permittere videntur, tussis tamen oppressa, laboriosa, dolens, atque suffocatio valde urgent.

a) Huxham. opera. T. II. p. 179.

III. Quænam remedia interno usui propinanda sint, in curatione peripneumoniæ dictum

ctum est. Simplex decoctum hordei, cum oxymelle & nitro sufficit frequenter, cum in hoc omnia requisita ad curam habeantur. Magna autem copia emollientia decocta sumenda sunt, sed divisis dosibus, ut singula media hora unciæ tres, vel plures talis decocti; vel ptisanæ hordei summantur, sed calidæ.

IV. In omni febre curanda vitæ & viribus prospiciendum est per cibos, & potus fluidos, facileque digerendos. Cum autem pleuritis raro ante septimum diem finiatur integre, sæpe etiam in longius spatium excurrat, patet facile, & hic vires vitæ idoneo victu sustinendas esse. Talia autem conveniunt, quæ facillime superari possunt ab ægro, & per varias evacuationes debilitato corpore. Solam ptisanam hordaceam dabat *Hippocrates* a) in acutis morbis; imo vel ab ipsa ptisana tota, ist est hordeo per colaturam non ablato, metuebat, dum cruda abhuc pleuritis nulla coctionis signa dabat, tuncque solum succum ptisanæ, & quidem dilutum exhibebat. Dein, ubi in tuto æger esse videbatur, mitescente morbo, exiguum ac tenuem cremorem hordaceæ ptisanæ dabat, admisto melle. Ubi autem sputa facile educebantur, re-

spi-

ſpiratio bona eſſet, & lateris omnis dolor ab-eſſet, tunc paulo craſſiorem, & copioſiorem cremorem ptiſanæ dabat, bis de die. *Sydenhamus* b) carnibus & carnium jusculis etiam tenuiſſimis, omino interdixit in pleuritide, ſola hordacea, avenacea, & panatellam conceſſit, & dum ſymptomata omnia jam miteſcerent, per aliquot dies tamen ægros ſuos ab omnibus liquoribus ſpirituoſis, & a craſſioribus cibis arcebat.

a) Hippocrat. de victu acutorum.
b) Sydenh. Opera p. 265.

V. Pleuritis morbus imflammatorius eſt cum febre acuta, adeoque omnia, quæ difflando aquoſam partem ſanguinis, ejus denſitatem augent, motumve febrilem accelerant, aut calorem accendunt, ſummopere noxia ſunt. Solent hinc adeo periculoſi errores committi in hoc morbo, dum gelida tempeſtate frequentem ſæpe pleuritidem calidiſſimis aggrediuntur remediis ignari, & ſudore, vitalium remediorum expreſſo, curari poſſe credunt. Obſervavit *Sydenhamus* a) & alias febres in pleuritidem mutari, dum initio nimis calidis remediis tentabantur, doluitque nobiles fœminas

nas male medicandis pauperibus, quam iisdem pafcendis, charitatem fuam teftari. Verum fi perverfa talis medela morbum diverfum a pleuritide mutat in pleuritidem, facile apparet, pleuritidem jam natam a fimili caufa debere reddi pejorem. Vidit fic *Swietenius* pleuritidem fecunda die lethalem, dum a flatibus dolorem hunc ortum fufpicatæ mulierculæ, dederant repetitis vicibus fpiritum deftillatum ex feminibus levifti ci. In alio homine & forti contigit, ut, dum quinta die adhibita venæ fectione aliisque remediis modo laudatis jam in melius vergeret morbus, & fpes felicis curæ affulgeret, vefperi proprio confilio dolenti pectori applicuerit lateres calidos admodum, ficque expreflerit validos fudores, unde fibi gratulabatur mifer; fed fequenti mane moriebatur.

a) Sydenham l., c.

Ex his, & aliis fimilibus cafibus patet, quam bene *Sydenhamus* monuerit, cavendum effe, ne æger pleuriticus nimis exæftuet; unde liberum reliquit ægris, ut quotidie per aliquot horas lecto eximerentur, fi vires ferrent. Imo obfervavit, & largam fanguinis miffio-

nem,

nem, & alia remedia refrigerantia nihil quandoque profecisse, si æger lecto affigatur perpetuo; imprimis si stragulis, vel cultricis nimium obruantur.

Usus vesicantium in pleuritide.

Cum ergo omne irritans, calefaciens, impetum augens damnosum habeatur in pleuritide, quid cogitandum est de vesicantibus ex cantharidibus paratis?

Summe practica quæstio est, an uti vesicantibus liceat in genuina pleuritide. At facile patet, id nunquam licere in primo pleuritidis genuinæ stadio, atque raro etiam in secundo. Vis enim cantharidum neutiquam in solam, cui applicatur, partem agit, sed ob resorptas acres particulas, in totum corpus, agitque *inflammando.* Nam & stranguriosus mictus, & mictus subinde cruentus, & tormina, alvus cruenta a nimio aut tempestivo vesicantium usu notissima symptomata sunt. Cum indicatio sit indubitata in pleuritide inflammatoria massam sanguinis minuere, motum humorum vehementiorem componere, fibras crispatas irritatasque delinire, emollire, neutiquam certe vesicans conveniet, viribus præ-

præditum e directo contrariis. Graviffima hæc quæftio eft, & ut diligentiffime excutiatur, certe digna, cum praxin vix non ubique contrariam videamus. Sed & veficantia vi gaudent fudorifera; poft unam enim alteramve horam æger largam diaphorefin patitur; hinc etiam ex hoc capite in morbo inflammatorio pleuritico, eoque adhuc crudo perfiftente veficans, & fudores intempeftivos, noxiosque movens contraindicatur. Nihilominus in fecundo morbi ftadio *fubinde* pulcherrime conveniunt; ubi videlicet materies fputorum tenax, & ductilis eft, ita, ut ob ipfum lentorem educi per anacatharfin nequeat, ubi vires ægri morbo & venæ fectionibus fractæ funt, ubi data expectorantia ftibiata ad vias fecundas non transeunt, fed alvum potius, utpote ufu mellitorum per fe nimis plerumque lubricam movent, convenit languentes ope veficantium vires erigere, & viis primis infalutatis permiffis cantharidum ftimulis intra maffam fanguinis, fputorum materiem attenuare, ac anacatharfin promovere. Alvi intempeftivam lubricitatem eadem quoque veficantia tollent, utpote quæ alvina evacuatio adplicatis veficantibus femper parcior effe folet.

Sed

Sed alia datur pleuritidis ſpecies, cui maxime veſicans convenit — *Pleuritis* nempe *rheumatica*.

Non opus eſt ea nunc repetere, quæ in primo volumine commentariorum de differentia *genuinæ* & *rheumaticæ* inflammationis dicebantur; a) ſed ſigna tantum, quæ *rheumaticam pleuritidem* adeſſe ſignificant, breviter exponam.

a) Comment. I. p. 183.

Dignoſcitur autem pleuritis rheumatica his fere notis:

1.) *Dolor antea alibi exiſtens.* Plerumque enim præcedunt artuum ſive ſuperiorum, ſive inferiorum dolores lacerantes, rheumatici.

2.) *Dolor diffuſus, vagus, acutus ad attactum.* Dolor enim in pleuritide, rheumatica ad præcordia, ad abdomen, ad totum ſæpe thoracem, ad locum intraſcapularem ſe extendit; in genuina vero pleuritide dolor intra arctius ſpatium concluditur. Dolor pleuritidis rheumaticæ ſæpe ab uno loco in alium migrat; ſtabilior is eſt in genuina pleuritide.

At-

Attactum locorum dolentium persæpe non ferunt ægri in rheumatica pleuritide; contrarium in genuina.

3.) *Tempus arthriticum, rheumaticum.* Talis erat illa constitutio autumni hyemisque subingredientis anni 1675. quam *Sydenhamus* descripsit.

4.) Sanguis in utraque pleuritidis specie summe phlogisticus, hoc solo discrimine, quod in pleuritide *rheumatica* crusta sit crassior utplurimum, majorque, ita, ut parum, aut nihil ferme nonnunquam crassamenti appareat. In genuina pleuritide crusta plerumque contrahitur fimbriis circumcirca assurgentibus.

5.) Sedes inflammationis rheumaticæ in hac pleuritidis specie in pleura, musculi intercostalibus, ipsis quoque pulmonibus est; hos enim ab inflammatione rheumatica affectos esse demonstrant sputa sanguinea.

6.) Alia signa diagnostica pleuritidis rheumaticæ, etsi non ita perpetua, *Stollius* a) collegit.

a) Stoll. Ratio med. P. I. p. 90.

Cu-

Cura pleuritidis rheumaticæ consistit:

1. in venæ sectione una, vel pluribus, prout circumstantiæ exigunt.
2. in potu emolliente, nitroso tepido.
3. in applicatione matura vesicantium ad locum dolentem, vel etiam quemcunque alium. Subinde sola antiphlogistica methodus, ut *Stollius* ait, sufficit, quin vesicantium necessitas sit. Verum ubi doloris acerbitas (ea nempe persæpe multo gravior est, quam ingenuina pleuritide) venæ sectionibus non mitigatur, vesicans datum ad locum dolentem, vel inter scapulas applicatum brevi dolorem omnem abstergit. Vix tres horæ quadrantes ab admoto emplastro vesicante labebantur, cum jam doloris expertem se æger diceret. Hinc patet ab resorpto vesicantium acri stimulo potius, quam a diuturna loci affecti erosione levamen hoc esse repetendum.

In hac itaque pleuritidis specie vesicantium adplicatio maxime convenit; atque ad hanc speciem illæ *pleuritides* pertinebant, quibus *Pringle* a) tanto cum emolumento vesicantium usum opposuit. Etenim morbus hic anno 1743. in Belgio, tempore verno, no-

ctibus adhuc frigidis, nebulosis, solve vero interdiu paulo magis calente, amœnoque, alterna frigoris, calorisque commutatione, commoratione sub tentoriis, loco videlicet humido erectis, in milites sæviit. Plurimi fuere pleuritici, & peripneumonici, nec multo minor rheumatismo laborantium copia, ut hinc ex ipso æquali propemodum, & rheumate & affectis pulmonibus decumbentium numero utriusque morbi affinitatem conspicere liceat. Præterea dolor pleuriticus sæpe adeo extendebatur, ut inflammationem viscerum abdominalium mentiretur. Vesicantia in morbi initio statim post primam sanguinis missionem, imo priusquam ea instituta fuisset, modo paulo post subjungeretur, adplicabantur. Dolore hac ratione sublato consultum videbatur, alteram phlebotomiam celebrare, nisi fors obortus sudor dolorem solverit, ubi nulla amplius remediorum necessitas supererat.

a) Pringle von den Krankheiten einer Armee.

His jam consideratis *Stollius* circā usum vesicantium in pleuritide sequentes canones observandos statuit.

1.)

1.) Veſicantia in pleuritide rheumatica ferme ſpecifica ſunt, debentque mox in morbi principio adplicari, præmiſſa ſanguinis misſione, ſubinde & iterata.

2.) Suppuratio poſt excitatam veſiculam excitari non debet; hinc epidermis non auferatur. Medicamenta ſuppurationem excitantia dolores inanes faciunt, & febrim augent; non enim ſuppuratio, ſed ſtimulus veſicantium prodeſt.

3.) Vim cantharidum medicatricem experiuntur ægri, cuicunque corporis parti veſicans adplicetur. Præplacet tamen locus inter ſcapulas medius.

4.) Veſicantia *pleuritidem veram*, atque *inflammatoriam* exacerbat: hinc quamdiu phlogoſis viget, ab iisdem omnino abſtinendum.

5.) Neque inſtituta una alterave phlebotomia in pleuritide inflammatoria confugiendum mox ad veſicantia eſt. Atque ut paucis dicam, quamdiu aliqua adhuc inflammatio adeſt, etſi ea ob celebratas ſanguinis miſſiones a ſuo vigore multum remiſerit, quin imo, quamdiu vel prudens ſuſpicio, metusque eſt, ne denuo phlogoſis recrudeſcat, veſicantia periculoſa ſunt.

6. Quodsi vero fracta penitus phlogoseos vis sit; si præcedens ægrotantis conditio in statum contrarium, nimia scilicet fibrarum elasticitas tensioque in laxitatem, humorum inflammatoria densitas in lentorem oppositum frigidumque, eorundemque abundantia in penuriam abiverit: si præterea expectorandæ materiæ copia pulmones inundet, opprimatque, aut ejusdem viscidias eos infarciat, vis dejecta vitæ anacatharsi haud sufficiat, vesicantia palmare auxilium suppeditabant.

Cæterum de pleuritide rheumatica adhuc notandum est:

1. Pleuritidem *rheumaticam* cum *genuina* pleuritide complicari, atque in hanc non nunquam abire.

2. Sæpe biliosa simul colluvies adest, & pleuritidem bilioso - rheumaticam producit. Hoc in casu expendendum est, quodnam in corpore vitium, *rheumaticum*, an vero biliosum magis urgeat. a)

a) Stoll rat. med. *P.* I. p. 94.

3. In hac pleuritidis specie debilissimos subinde pulsus observavit *Stollius* a), qui detracto sanguine fortiores evadebant. Metuebat in paucis quibusdam fœminis, laxioribus,

&

& fere chloroticis, frequentius ac copiosius menstruantibus, cum dolore tali pleuritico corriperentur, & pulsus exhiberent mollissimos, debilissimos, secare venam; hinc primo timide, parcissime sanguinem detraxit, visurus, quomodo ferant; mox audacior factus plus detraxit, pulsu inde validiore effecto, & secuto mox levamine.

a) Stoll ratio medendi. P. III. p. 94.

4 Etsi autem vesicantia pleuritidi rheumaticæ plerumque conveniant, accidit tamen subinde, ut speratum effectum ab hoc remedio non obtineas. Observavit *Stollius* constitutiones rheumaticas, quibus id ferme proprium erat, ut a vesicantibus nullum levamen accederet; materia forsan rheumatica tunc tenaciori, atque cute ad diaphoresin minus disposita.

Methodi antiphlogisticæ terminus.

Bina inprimis hic metuenda erant, nempe inflammationis exitus in periculosam hic loci suppurationem, vel gangrænam fere semper lethalem, & pulmonis infarctus ob impeditam respirationem præ doloris acerbitate.

Ut

Ut hæc pericula vitentur, ſanguinis liberalis & repetita evacuatio, fomenta, & reliqua modo enumerata remedia adhibeantur. Verum cavendum etiam, ne nimis debilitato ægro per ſanguinis miſſiones imprimis, non ſufficiant viros ad ſubigendam, & excernendam morbi materiem, unde poſtea languores chronici difficulter ſuperabiles ſequuntur. Adeoque licet aliquis dolor ſuperſit, modo reſpiratio ſatis ſit libera, nec pulſus durus adeo ſit, nec magna velocitas circulationis, per fomenta applicata, & diluentia, & attenuantia, larga copia potata, ſuperabitur malum. Felicitas enim curæ in talibus morbis conſiſtit in eo, ut ita temperetur febris continuæ pleuritidem comitantis impetus, ut nec exorbitet, nec torpeat nimis.

Etſi inter illas, quæ febris exorbitantem impetum minuunt, etiam clysmata refrigerantia locum habent; tamen *Sydenhamus* enemata vel omittebat, vel maximo inter repetitas venæ ſectiones intervallo curabat injicienda, & tantum ſimpliciſſima, ex ſacharo in lacte ſoluto; maximam enim, & merito quidem, ſpem curæ ponebat in ſanguinis miſſione & ideo enematibus parcius uſus fuit, ne nimis debilitaret ægros; uti etiam, ne al-

vi

vi fluxum, in initio pleuritidis ſymptomaticum & noxium acriori clysmate proritaret. Ubi jam remittit morbi impetus, tunc ſenſim ſolvi incipiet illud concretum inflammatorium, & per varias vias de corpore exitum quæret. Unde ad hæc attentus tunc eſſe debet medicus, ne intempeſtiva medela turbet materiæ morboſæ coctionem, vel coctæ excretionem.

Ubi jam ceſſit morbus, cavendum maxime, ne nimis cito impleantur convaleſcentes ægri. Sæpe enim in hoc morbo vitæ periculum non redimitur, niſi inſigni ſanguinis jactura; ea autem jactura humoris boni impedit ingeſtorum aſſimilationem in naturam liquidi vitalis ſani. Unde metuendum eſt, ne ſubita repletione per chylum craſſiorem obruatur pulmo, & periculoſa fiat recidiva. Quod prudenter monuit *Hippocrates* a), ubi de pleuritidis cura agit, dicens: *poſt judicationes autem vires levibus cibis reficiendæ, & quieſcendum: præterea vitandi ſoles, venti, plenitudines, acida, ſalſa, pinguia, fumus, ventris flatus, labores, venus; ſi enim reverſus fuerit morbus, ſequetur mors.*

a) Hippocrat. de morbis *L.* III.

Vidimus jam, quomodo pleuritis abeat in ſanitatem auxilio naturæ per reſolutionem benignam, vel per coctionem & excretionem materiæ morboſæ: ſimul etiam expendimus, quomodo per artem ſanari poſſit absque alio morbo ſequente. Sequitur jam ut conſideremus pleuritidem, dum in alios morbos abit, vel in mortem tendit; & ut videamus, quid ars poſſit in ſanandis morbis, ex pleuritide infeliciter curata, natis.

EXITUS PLEURITIDIS IN ALIOS MORBOS.

Suppuratio.

Primo agetur de pleuritide in ſuppurationem tendente. Cum autem alia cura requiratur hoc in caſu, quam ubi ſpes eſt reſolvendæ pleuritidis, debemus cognoſcere illa ſigna, quæ docent ſuppurationem futuram.

1. Generalia inflammationis in ſuppurationis tendentis ſigna, ſupra, cum de peripneumonia in ſuppurationem abeunte agebatur, p. 88. expoſui.

2. Si febris continua, dolor, tuſſis &c. ad *undecimum* usque diem eadem ferme cum in-

intensitate excurrant, tunc enim magna cum probabilitate suppuratio metuitur. Monuit autem *Swietenius*, tunc tantum certam esse suppurationem, si toto hoc tempore æquali gradu processerint hæc symptomata, vel & aucta fuerint potius, quam minuta. Sæpe enim contingit in pleuritide curanda, ut per sanguinis missionem, aliaque remedia, mitescant omnia symptomata, & paulo post, quandoque & sequente die denuo redeant æque vehementia, imo hoc quandoque ter, quaterve contingit; non tamen ideo credendum est, quod in tali casu pleuritis necessario in suppurationem itura sit.

3. Si resolutionis nulla spes sit, neque ulla critica evacuatio præcesserit. Non tamen semper mox in initio absoluta prognosis futuræ suppurationis haberi potest, cum signa coctionis & criseos sæpe serius in hoc morbo appareant, ægro tamen postea ex integro restituto.

Præcipue vero neglecta venæ sectione, quæ adeo necessaria est in pleuritide valida; & si cito instituatur, & repetatur pro re nata, satis feliciter sanat. Hoc enim remedio neglecto, succedit empyema, febris hectica, tabes.

Signa abſceſſus formati.

Abſceſſus hic natus habet quidem omnia ſigna communia cum reliquis abſceſſibus, qui in externis partibus corporis fiunt; verum pleraque ex his hic non poſſunt diſtingui, cum in interioribus apoſtema lateat: hinc operæ pretium eſt hic colligere & alia omnia indicia, quæ ſuppurationem hic fieri docere poſſunt. Horrores illi vagi, nulla certo temporis periodo recurrentes, magni momenti ſignum dant. Multum etiam huc facit morbi tempus jam in longum excurrens, & minori tamen cum vehementia ſymptomatum, quam in principio: ſi enim omnia ſymptomata manerent æque valida, vel augerentur, potius gangræna & mors exſpectanda forent, quam benigna ſuppuratio; quæ licet hic periculoſa ſit, tamen longe adhuc melior, quam pejores illi pleuritidis exitus in gangrænam vel mortem. Ita *Hippocrates* a) de pleuritide agens habet ſequentia: *At quibus ſtatim expuitiones cujusvis ſunt generis, & dolores admodum acuti, illi tertio die moriuntur; quem ſi effugerint, convaleſcunt: qui vero ſeptimo, aut nono die, aut undecimo die ſanus non fuerit ſuppurare incipit. Præſtat autem ſuppurari, minus enim lethale eſt, quamvis labo-*

boriosam sit. Verum tunc additur in illa prænotione coaca, quod tertio vel quinto die moriantur; si vero illos effugerint, *non multo levius se habentes*, tunc septimo, aut nono, aut undecimo suppurari incipiant. Ex quibus patet, tunc *Hippocratem* exspectasse suppurationem, dum pleuritis non esset pessima; vel si admodum valida in initio parum jam mitesceret, eumque adhuc præcipuos dies criticos observasse, an non ibi molimen naturæ adverteret, a quo sperari posset materiæ morbosæ jam subactæ evacuatio, vel metastasis ad alias partes: ubi vero nihil tale videtur, tunc statuit, suppurationem incipere.

a) Hippocr. de morb. L. III. Cap. XV. Charter. Tom. VII. p. 591.

Ex his ergo signis fieri apostema novimus, adeoque & ex iisdem symptomatibus diu manentibus apostema jam factum esse cognoscimus. Verum tunc & alia succedunt signa, quæ hanc diagnosin confirmant, & a distractis vel compressis vicinis partibus per tumorem purulentum ducunt originem. Notum enim est, in suppurationibus partium externarum corporis dolorem augeri, dum abscessus jam maturus pure turget, & cutim validis-

diſſime diſtendit: imo tunc quandoque dolores illi a partium vicinarum diſtractione ad alia loca propagantur; ſed talis abſceſſus poſt pleuritidem natus removet pleuram ab intercoſtalibus locis & diſtrahit ſummo cum dolore, quandoque ſe per totum pectus & dorſum propagante, pulmonem vicinum premit, irritat, hinc ſuffocationis metum, & tuſſim molestiſſimam quandoque facit, tanto quidem plus, quo ſaccus ille pure plenus major eſt. Omnia hæc ſymptomata *Hyppocrates* variis in locis enumeravit. *Ad latus dolore ex ſuffocatione accedente, hi ſuppurantur.* a) Et in alio loco b) habent ſequentia: *Quum tuberculum lateri oboritur, tuſſis dura detinet & dolor, & febris pondus in latus incumbit, & dolor acutus eundem locum ſemper occupat, & ſitis vehemens, & calidum potum eructat, & decubitum in latus affectum non ſuſtinet, ſed in ſanum. Verum ubi decumbit, vel ut ſaxum ipſi ſuſpenſum videtur: intumeſcit, ac rubet, pedesque tument.* Atque iterum alibi c) dicit: *Si in latere tuberculum oriatur, & purulentus fiat (æger), hæc patitur: rigor detinet & febris & tuſſis ſicca per multos dies, & latus dolet, & dolor in mammam, & claviculam & ſcapulam impetum faciens obſidet.*

a)

a) Coac. praenot. Nro. 113. p. 856.
b) Hippocr. de morb. Lib. II. Cap. XXXV. Chart. T. VII. p. 575.
c) Hippocr. de internis affect. Cap. X. Chart. Tom. VII. p. 644.

Verum quandoque pus natum hic loci per ſputa ex pulmone educta evacuatur, felici ſucceſſu. Præterea frequentiſſime invenitur pulmo accretus pleuræ in illis, qui validam pleuritidem paſſi fuerint, & in tali caſu facilius intelligitur, quomodo pus ex abſceſſu pleuræ in pulmonem acretum venire poſſet. In cadavere hominis, cujus morbum non noverat *Ill. van Swieten*, cum a veſpillone furtim ablatum redemiſſet in uſus anatomicos, invenit pulmonem ſiniſtrum firmiter accretum pleuræ lata admodum plaga; dum ſcalpello ſolvebat hanc cohœſionem, ut pulmonem educere poſſet, ingens copia puris effluxit: interim tamen patuit, examine inſtituto, pulmonem non fuiſſe purulentum, ſed tantum accretum firmiter huic ſucco purulento ex ſuppurata pleuritide nato. Certe, ſi ille homo diutius ſuperſtes fuiſſet, pus illud videtur jam ſibi facturum fuiſſe per pulmonem contiguum, & adeo firmiter adhærentem. Quacun-

cunque demum via pus post pleuritidem suppuratam in pulmonem veniat, observatis certis constat, illud quandoque sputo per pulmonem evacuari: nec credit ullum medicum, in luculenta praxi constitutum esse, quin hoc aliquoties viderit, uti Ill. *Swietenio* sæpius illud videre contigit. Memorabilis casus est, quem habet *de la Motte* a), ubi in pleuritico, qui morbum omnino neglexerat, octavo die ingens puris copia cum tussi mediocri per pulmonem rejiciebatur, felici eventu. Imo & *Hippocrates* b) idem manifeste statuit, dicens de pleuritide. *Indicatur autem hic morbus, brevissimus quidem septimo die, longissimus autem decimo quarto die: quo quidem si pus a latere per sputum rejectum fuerit & repurgatum, sanus evadit. Si vero non per sputum rejectum fuerit, purulentus fit, & morbus longus.* Et similem certo prognosin in aphorismis c) habet: *Pleuritici, qui intra quatuordecim dies superne non repurgantur, illis in empyema transit.*

a) Traité complet de chirurgie T. I. p. 248.
b) De affection, Cap. III. Chárt. T. VII. p. 621.
c) Aphor. 8. Sect. V. Chart. T. IX. p. 199.

Sig-

Signa, quæ vomicam formatam esse significant *Stollius* aphor. 213. recenset. Sunt autem sequentia:

1.) Febris mitigata, absque signis prægressis coctionis, & criseos.

2.) Dolor obtusus, qui prius erat acutus.

3.) Febris mox a pastu, & vesperi exacerbata, atque sudoribus nocturnis terminata.

4.) Genarum rubor; sitis; volæ manus, frontis, & genarum color intensior.

Signa vomicæ ruptæ.

1.) Si signa præcesserint, ex quibus suppurationem jam formatam esse concludimus:

2.) Si morbus jam ad vigesimum usque diem duraverit, doloribus antea mitescentibus, nunc iterum auctis; falsus tunc sæpe metus novæ pleuritidis oritur. Dum enim abscessus pure pleno turget, membranæ pus coercentes sensim distrahuntur, atque molestissimum dolorem faciunt, & quidem eo acriorem, quo rupturæ proprior fit talis vomica purulenta. Hoc quandoque fefellit minus peritos medicos, dum dolorem illum acutum novæ inflammationi tribuebant, & viribus jam fractos

ægros ob longitudinem talis morbi repetitis quandoque ſanguinis miſſionibus exhauriebant.

3. Simulac autem talis abſceſſus ruptus effudit in cavum thoracis pus, ceſſat dolor ſubito; & anxietas a compreſſo per turgentem vomicam pulmone nata minuitur multum; unde miſeri ægri ſe integre ſanatos ſæpe credunt, ſubito tale levamen experti. Verum aucta copia puris accumulati, redit eadem anxietas, tuſſis & reliqua fere omnia ſymptomata recrudeſcunt, & vanam fuiſſe ægrorum ſpem arguunt.

Signa Empyematis.

1. Febris *ſuppuratoria* continuo increſcit, exacerbationes veſpertinæ manifeſtiores.

2. Difficilis in latus ſanum decubitus, ob molem puris in ſanum pulmonem gravitantis.

3. Oëdematoſus lateris, in quo empyema factum eſt, tumor, modice dolens ab attactu, atque calidius.

4. Pectus in affecto latere magis amplum, oëdemate calido ſuffuſum, ſtriis purpureis notatum.

5. Tuſſis ſicca.

6. Inſpiratio latere ſano tantum peracta immoto ferme latere affecto, eo magis, quo propius puri effuſo eſt.

7. In ſitu ægri erecto ſcapula in affecto latere depreſſior, atque ſpina dorſi verſus idem latus incurvata.

8. Sonus percuſſi thoracis aut dorſi infra ſcapulam nullus; de quo ſigno ſuperius actum eſt.

Puris verſus exteriora derivatio.

Cum præcipuum diſcrimen pleuritidis ſuppuratæ inde pendeat, quod pus collectum in pectoris cavum, rupto abſceſſu, delabi ſoleat frequenter, hinc, ubi ſigna docuerunt, ſuppurationem jam fieri, merito tentandum eſt, ut illi puri verſus exteriora paretur exitus. Huc faciunt fomenta, cataplasmata, emplaſtra &c., quæ lateri dolenti adhibentur etiam in initio morbi: illa enim emolliendo partes exteriores efficiunt, ut huc verſus derivari forte pus poſſet. Cum autem hæc ſola ad hunc finem raro ſufficiant, ſapientes veteres medici acriora tunc emollientibus admiſcuerunt, ut irritando partes externas latens in reconditis magis partibus malum evocarent. Sic

Aretæus a) in cura pleuritidis dicit; *ſi morbus productior ſit, & dolor pertinax, & humida ſit expurgatio, purulentum hominem fore ſperatur; tunc ſinapi & cachrys (Semina) cataplasmatibus admiſcenda ſunt.* Poſt hæc autem applicata commendat, ut poſt ſeptimum diem magna cucurbita cum multa flamma applicetur dolenti loco, & dein ſcarificetur; vulnusculis autem ſal vel nitrum inſpergi jubet, & dein ſequenti die iterum cucurbitam applicari. Notum eſt, partes corporis ſub cucurbita poſitas, multum minuta atmosphæræ preſſione, ſtatim intumeſcere, ſicque potentiſſimam derivationem fieri verſus loca, quibus cuburbitæ affiguntur: ſimul etiam irritata per ſalis vel nitri inſperſionem vulnuscula eodem ſcopo ſerviunt.

a) Aretæus de curat. morb. acut. L. I. cap. 10. p. 10.

Quin imo, dum certi ſumus abſceſſum fieri, conducit vel cauſticis applicatis, vel ſcapello dividere incumbentes partes fere ad pleuram usque, & ſuppurantibus applicatis apertum tenere diu hunc locum, hac ſpe, ut pus ex interioribus per exteriora, jam vix reſiſtentia exeat. Unde in ipſo pleuritidis ini-

initio operæ pretium foret parvo quodam emplastro notare locum maxime dolentem, quia ibi abscessus nasci solet, dum nec resolutione, nec coctione & excretione sanatur pleuritis; sicque sectio, vel causticum, postea loco huic certe cognito adhiberi possent. Raro quidem hoc a medicis hodie fit, & non omnes ægri talem cautelam admittere vellent, interim tamen tentari hoc meretur, ut pectori empyema, adeo periculosum, caveatur. *Hippocratem* in simili casu hanc curam instituisse patet. Sic de pulmonis tuberculo agens a) monet illa, quæ facienda sunt, ut rumpatur tuberculum, & pus collectum exspuatur, dein dicit: *Quod si non eruperit (quibusdam enim procedente tempore ad latus abscedit, & intumescit) illum oportet, ubi hoc contigerit, secare & urere.* Et paulo post b) de lateris tuberculo agens eandem curam præscribit; tamen & ibi videtur sectionem & ustionem instituisse in latere dolente, ubi aliquis tumor & rubor jam aderant; tunc enim certiores adhuc sumus, quod collectum pus versus exteriora tendat. Cum autem felix successus in hoc casu fere tantum sperari possit, dum pus adhuc blandum manserit (si enim mora & stagnatione jam putrescere inceperit, sæpe per-

eunt) monuit hoc *Hippocrates* c) dicens: *Qui suppurati urantur aut secantur, si pus purum & album effluat, evadunt, si vero subcruentum, & cœnosum, & graveolens, pereunt.* Notat autem *Galenus* d) in commentariis suis ad hunc aphorismum, quod *Hippocrates* præ ceteris ἐμπύυς, sive suppuratos, vocet illos, quibus inter pectus & pulmonem pus collectum est, quos veteres urere consueverant; quod & ex vetusto comico autore probat. Hinc videtur admodum probabile, quod & ustionem, & sectionem quandoque tentaverint, ubi certi erant de suppuratione præsenti; licet nullus tumor aut rubor in externis thoracis partibus adessent; imprimis cum inde nihil mali metuendum sit, & multum boni sperari possit.

a) Hippocrat. de morb. L. II. cap. 22. Chart. T. VII. p. 374.
b) Ibidem cap. 24. pag. 575.
c) Aphor. 44. Sect. 7. Chart. Tom. IX. p. 315.
d) Ibid. p. 310.

Quod autem a similibus artificialibus viis, si diu aperte teneantur suppurantibus, multum boni exspectari posset pro evacuatione materiæ purulentæ etiam profundius hærentis, docet

eet ſequens caſus. Poſt pleuritidem neglectam ortus fuerat tumor ſub læva ſcapula, & per integrum biennium ibi manſerat absque multa moleſtia: poſtea caſu læſus eſt tumor, qui tunc dolore incepit, ſimulque acceſſit, valida tuſſis, noctes diesque moleſtæ: expuebat olidum, flavum, tenue pus cum pauco ſanguine miſtum: pulſus erat celer, durus, calor magnus, corpus extenuatum, appetitus deletus. Prudens medicus credebat non ſine periculo pertundi poſſe tunc tumorem. Veterumque veſtigia ſecutus, qui inurendo loca intercoſtalia fonticulos excitabant in ſuppurationibus internis, ſetaceum curavit applicari inter binas coſtas, quæ tumoris parti infimæ proxima erat, cavendo tamen, ne ipſe tumor acu pertunderetur. Copia puris magna per ſetaceum exibat, omnia ſymptomata emendabantur, vires redibant, tumor ſubſidebat, & a tanto morbo feliciter evaſit æger a) ſatis brevi tempore.

a) Medical Eſſays vol. V. part. 2. p. 609. &c.

Plurimæ obſervationes memoriæ mandatæ fuerunt a medicis, quæ docent, pus collectum in locis intercoſtalibus ſibi ipſi vias

ſe

fecisse satis miras versus exteriora. Unicum tantum casum satis singularem memorat *Ill. van Swieten*, quem ipse vidit. Juvenis viginti annorum post celerem cursum, ultra vires protractum, pleuritide corripitur, quam in initio neglexerat; hinc in suppurationem abivit morbus, cum magna oppressione pectoris. Trigesimo quarto morbi die incepit sputa purulenta copiosa educere, magna cum facilitate, & insigni levamine quidem, sed tamen dolor obtusus manebat in pectore dextro, & costæ omnes illius lateris incipiebant eminere extrorsum, licet per triginta dies continuos quotidie multum puris rejiceret: accedebat diarrhæa multum debilitans, manebat febricula hectica, & totum corpus tabescebat. Pertæsus longi morbi miser æger omnia remedia respuebat; hisque malis conflictabatur diu: Decimo autem mense in medio sterno tuber apparuit molle, nucem avellanam æquans, & in ambitu tumoris exesi ossis sterni margines distincte digito tangere potuit: sponte post paucos dies rumpebatur ille tumor, & ingens copia puris boni erupit: pergebat per octo menses, & ultra, puris effluxus, ita ut merito metueretur, tandem succubiturum ægrum. Libram detergentis

tis decocti cum melle rosarum una vice per siphonem injicere poterat chirurgus in cavum hunc saccum, nec penetrabat liquor injectus in cavum thoracis, sed inter pleuram & costas videbatur hærere, & facile effluebat denuo per illam aperturam ossis sterni. Convaluit tamen ille æger, sensim minuta puris exeuntis copia, & vidit illum octo annis postea adhuc superstitem, & satis vegetum; manebat tamen foramen in sterno apertum, & quotidie aliquid puris exibat.

Plures alios casus vidit *Swietenius*, ubi per loca intercostalia viam sibi paraverat pus post suppuratam pleuritidem, & multas novit superstites mansisse, de quibus fere videbatur desperandum esse. An ideo dixit *Hippocrates* a)? *Et quicunque ex peripneumonia vel pleuritide fiunt suppurati, non moriuntur, sed convalescunt.* Dum autem Hæmoptoën, vel & in aliis phthysis speciebus nascitur ulcus pulmonis, fere omnes perire dolent medici, cum ex maximis suppurationibus, post morbos inflammatorios pectoris & pulmonum natis, emergant plures: si nempe vel per sputa, vel per aperturam, sponte vel arte factam, exeat pus, antequam delapsum fue-

fuerit in thoracis cavum: ubi hoc enim contigerit, longe majus periculum imminet.

a) Hippocrat. de locis in homine C. VII. Chart. Tom. VII. pag. 366.

Empyematis sanatio.

Quamprimum vero signa adsunt, pus formatum vomica rupta effusum esse, cura in sequentibus consistit.

1. Pus aperto thorace educere. Quo loco, quibus instrumentis paracentesis thoracis institui debeat, a scriptoribus chirurgicis docetur. Nisi enim cito educatur pus hic collectum & pulmones alluens, illud mora tenuius & acrius redditum miserrimam tamen producet, & frustra puris eductio tentabitur serius, tabefactis jam a pure diu relicto pulmonibus. Casum factæ paracenteseos, additis in operatione cautelis observandis, *Stollius* refert. a)

a) Stoll rat. med. *P.* III. 156.

2. *Vulnus percurare:* tum victu, tum medicamentis.

At paracentesi etiam peracta anceps sæpe salus est, neque ægrum evasurum fore teme-

mere prædicendum eſt, niſi hæ adſint conditiones.

1. Si pus bonum eſt: id eſt leve, æquale, fœtoris expers, ſpecillum non colorans; alias enim conclamatum eſt de rebus ægri.

2. *Pulmones integri*: Hinc nunquam licet paracenteſin inſtituere in pleuroperipneumonia; etſi Archiater Moguntinus *Ill. Hoffmannus* a), etiam in eo caſu, ubi pus in pulmonum ſuperficie collectum hæret, paracenteſin fauſto cum eventu inſtitui poſſe pronuntiet. Cum tamen ſigna certa atque manifeſta de regione pulmonum ſuppurata plane deſint, inter temerarios auſus empyematis operationem pulmone læſo inſtitutam referre non dubito.

a) Hoffmann Münſteriſche Medizinalverordnung.

3. *Abitus corporis bonus.* Si enim cacochymia purulenta adſit, aut alia quæcunque acrimonia humoribus inhæreat, certa tabes inſequitur.

4. *Abſens prædiſpoſitio ad phthyſin.* In hoc enim caſu antiquam pulmonum labem merito ſuſpicamur.

5. *Virium conſtantia.* Iis enim jam detetritis purulenta ſcaturigo non exſiccatur.

6.

6. Optimum tandem signum rediturae a paracentesi sanitatis est *febris tabificae vix inchoatae cessatio.*

Pleurae coalitus cum pulmone.

Alius frequens morbosus pleuritidis exitus est, dum locus ille inflammatus callosus redditur, atque pleura in eo loco cum pulmonibus coalescit. Signa hujus exitus habentur a respirationis incomodis, a pastu & motu auctis, absentibus tamen signis abscessus aut empyematis. In morbi hujus initiis subinde sanatio possibilis est, si aegri corpus duris laboribus exerceant, rusticatione, & forti equitatione utantur. Quandoque autem omni remediorum apparatu vix aliquid proficimus.

Crisis erronea.

Varius itererum eventus est lymphae coagulabilis:

1. Lympha coagulabili subito & magna copia in pectoris cavum transsudante, aegri, uti de peripneumonicis dictum est, repente suffocantur.

2.

2. Si parca copia, atque partitis vicibus hæc transsudatio contingat, atque in vasa aërea deponatur, æger, materie hac per sputa sensim sine sensu educta, sanatur.

3. Sæpe autem lympha illa coagulabilis in præternaturalem membranam coalescit, quibus pulmones arctantur, & vinculis præternaturalibus cum pleura colligantur. Duplex inde malum oritur. Asthma insanabile, de quo superius, dum de peripneumonia agebatur, dictum est; alterum autem malum, quod inde oritur, frequens est in novas pleuritides relapsus. Quamprimum enim tales ægri in aliam febrim incidunt, symptomaticæ accedunt pleuritides, ob præexistentem hanc thoracis labem. Hæc autem consuetudo contrahendi pleuritidem amittitur, morbusque præpeditur: 1) vitando causas excitantes cognitas; 2) vitando, curandoque catarrhos; 3) venæ sectione prophylactica.

Gangræna.

Funestissimus pleuritidis exitus est in gangrænam, non solum lateris, sed etiam pulmonum. Causa autem gangrænæ a vehementia inflammationis, aut ab acri conjuncto stimu-

mulo materiæ arthriticæ, venereæ &c. derivanda est.

Prognosis gangrænæ his ferme continetur:

Sputa purulenta, subbiliosa: signat enim ulcus non boni moris, & facile gangrænescens.

Rotunda significant initio morbi fistulosos jam antea in pulmone abscessus, & cacochymiam; hinc metus ulceris mali moris, & gangrænosi.

Purulenta subsanguinea, sed sanguine obsoleo, bruneo, nigrescente, dissoluto, fœtido.

Male olentia: Vidimus pessimum ulcus in pulmone, ubi totum cubiculum intolerabili fœtore replebatur. Novimus fœtorem gangrænæ a decubitu.

Vultu mæstu &c. Est nempe facies gangrænosorum dicta *Hippocratica*, sibi plane dissimilis. De facie Hippocratica legi meretur *Christiani Largii dissertatio in primo Tomo thesauri semiotices pathologicæ, quem Vir Cl. Christ. Schegel edidit Stendaliæ.* 1787. *p.* 423.

Oculi rubro - flavi: notant enim magnam humorum degenerationem.

Spu-

Sputa initio varia, ſcilicet nunc purulenta, ſanguinea, nigra, cœnoſa.

Stertor &c. Tunc enim eſt ſimul ſumma peripneumonia pleuritidi ſuperveniens, & in gangrænam verſa.

Exacerbationes die critico: mortem enim ſequenti die critico prænuntiant.

Sedimentum in urinis nigrum: vidit *Stollius* talem urinam in ſcarlatina, ex qua tamen æger convaluit.

Lingua nigra, cum bulla nigra lethalis eſt: id eſt, ſi cæteris rebus malis lingua liveſcens ſit, vel in toto, vel in parte, ſicque gangrænoſa bulla in lingua ſit, lethalis. At datur *lingua nigra*, nobis multoties viſa, veluti ab roob ſambuci, ſine periculo.

Reliqua etiam ſigna, quæ aph. 229. enumerantur, ſummam humorum depravationem adeſſe ſignificant.

Quo plura horum ſignorum adſunt, eo major gangrænæ imminentis metus eſt.

Gangrena imminente Antiqui & *Boerhavius* uſtionem lateris propoſuere; at *ſolo dolore*, tanquam ſtimulo potuit prodeſſe. Præſtant irritantia ad latus applicata, atque intus ingeſta. Hinc veſicans mox lateri applicandum; interne omni remediorum antiſepti-

fepticorum apparatu tentandum eft, an imminens malum poffit adhuc præverti.

Cum autem gangræna inflammatas partes jam occupat, fymptomata pleuritica absque manifefta caufa mitefcunt, pulfu interim parviffimo, omni modo vario, celeri, frigidaque refpiratione. Hinc generale axioma practicum *Hippocratis*, quod de omnibus viscerum inflammationibus valet, certiffimum eft: *fecundum rationem levantibus non oportet credere.* a)

a) Hippocrat. aphor. 27. Sect. II.

Ægri tandem in breve delirium incidunt, aut in ftatum foporofum, thorax livefcit, morte mox infequente.

Exitus pleuritidis in mortem.

Ob magnitudinem nempe inflammationis, cum æger vehementiffima accedente peripneumonia, indeque omni fanguinis per pulmones tranfitu abolito, repente fuffocatur. Hic eft omnium citiffimus exitus in pleuritidem. Si enim acutiffimus dolor omnem dilatationem pectoris impedit, accumulatur fanguis

guis in arteria pulmonali, tenuissima pars tantum in venas transprimitur, crassum aggeritur, & subita fit suffocatio.

Hunc pleuritidis exitum pulchre etiam notaverat *Aretæus* a), sic enim habet: *nonnunquam sane intra hujus temporis spatium omnium in pulmonem transitus est: trahit enim pulmo in se ipsum, & rarus, & calidus existens, & ad proxima trahenda se commovens, tuncque morbi transpositione repente homo strangulatur.*

a) Aretaeus de causis & signis morborum. §. I. cap. 1.

Pueri infantes tunc pereunt convulsi; item messores sæpe sub haustu frigidæ pereunt.

Quæstiones variæ.

Cur sæviori pleuritidi peripneumonia accedat, in præcedenti paragrapho explicatum fuit.

Morbus hic maxime exitiosus est senibus, ob solidorum rigiditatem, atque sanguinis humorumque lentorem, quibus fit, ut accedente pulmonum inflammatione, compositum quod-

dam

dam peripneumoniæ genus oriatur. *Vera* nempe *inflammatio* in pulmonibus *pituita* repletis, seu peripneumonia *notha* cum peripneumonia vera complicata.

Norunt practici febre valida orta puerperii tempore iliaco febre lochia supprimi. Infelicem talem casum vidit *Swietenius*, dum viginti quatuor horis ante partum gravida mulier acuta corripiebatur pleuritide; peperit infantem mortuum, lochia post partum mox cessabant, dolor venæ sectione parum mitigatus increvit ilico immaniter, & licet repetitis sanguinis missionibus levaretur parum morbus, febris manebat æque acuta, pulmo incipiebat oppleri, & septima die periit.

Periculosiorem esse pleuritidem graviditatis tempore, nemini mirum videbitur, cum & a febre acuta, pleuritidis comite, abortus periculum immineat, & subitæ vasorum depletiones per repetitas sanguinis missiones non adeo tutæ sint in gravidis. Præterea distento jam multum abdomine difficile respirant gravidæ, cum inter inspirandum diaphragma multum descendere nequeant, adeoque major dilatatio pectoris requiritur; quæ dum impeditur ob dolorem pleuriticum, summæ fiunt angustiæ, & metus est, ne cito letha-

thalis peripneumonia ſequatur. Non tamen abſolute in gravidis lethalis eſt pleuritis, & meminit *Swietenius* gravidæ mulieris, quæ ſputorum excretione feliciter ſanata fuit. Imo in alia fœmina bis curavit pleuritidem, dum gravida erat; ſemel ſexto graviditatis menſe & ſemel octavo; utroque tamen in caſu feliciter peperit, & puerperii tempore ſatis commode ſe habuit.

Dum inſpiramus, coſtæ a ſe mutuo removentur, & diaphragma deorſum preſſum, thoracis cavum reddit amplius, ſimulque tunc abdomen aſſurgit. Dum autem pleuritis adeſt, absque acerbo dolore coſtæ a ſe mutuo deduci nequeunt. Ubi ergo faſciis circumductis ita adſtringitur thorax, ut coſtæ quaſi immobiles reddantur, tunc dilatatio thoracis inter inſpirandum fit a ſolo deſcenſu diaphragmatis verſus abdomen, & non diſtrahuntur loca intercoſtalia: unde ergo inſigne doloris levamen percipiunt ægri, & minor metus eſt, ne ob impeditam inſpirationem infarciatur pulmo ſanguine immeabili. Interim tamen & hoc notandum, minui quidem ſic dolorem pleuriticum, ſed manere ejus cauſam, cui ergo efficax medela adhibenda eſt, ne in ſuppurationem inflammatio hic nata abeat,

dum ob levamen doloris minutam eſſe morbi vehementiam falſo quandoque crederet medicus.

Variæ quoque hinc pleuritidis diviſiones, quæ paſſim apud auctores occurrunt, facile intelliguntur. *Aſcendens* nempe pleuritis dicitur, quæ ſimpliciter verſus jugulum vergit, *deſcendens* vero, quæ infra thoracem eſt. Ita communiter accipiuntur hæc vocabula. At melius *pleuritis aſcendens* ea vocanda eſt, quæ ſuperiorem corporis partem, ſcilicet thoracis latus occupat ſimpliter; *deſcendens* vero, quæ infra thoracem eſt, in mollitudine laterum, ut ait *Baglivius.* In priori enim pulmo affectus; in poſteriori vero ſæpiſſime primas vias ſaburra affligit. Prior periculoſior, altera non item. In prima ceteris coindicantibus venæ ſectio, in altera purgatio. Hæc diſtinctio aſcendentis pleuritidis & deſcendentis male intellecta, cum, an vena ſecanda, vel purgandum ſit, inde deſumatur, ut *Hippocrates* jubet, gravium ſæpe errorum cauſa fuit. Deſcendentem enim pleuritidem illam putarunt, quæ inferiorem thoracis partem, ſive inferiores pulmonum partes afficeret. Quid ſub nomine pleuritidis dorſalis, duplicatæ, acutæ, chronicæ intelligitur, vel ex ſolis nominibus patet.

Pleu-

Pleuritides infantum difficulter dignofcuntur, cum pulfus, ob fummam corporis teneli irritabilitatem medicum nil doceat, neque infans ipfe fedem doloris verbis poffit fignificare. Optimam hujus mali diagnofin attenta refpirationis obfervatio fubminiftrat. Si enim caufa ad eum morbum producendum idonea præcefferit, quæ plerumque in perfrigeratione confiftit, febris fupervenit convulfionibus ftipata, infans inter clamores refpirat, thorace ex uno latere fere immobili, altero intraducto, pleuritidem adeffe recte conjicies.

Opium pleuritidi veræ non convenit, cum inflammans fit remedium, alvum & urinas fupprimat, fudorem pellat; neque expectorantia remedia, utpote moventia, in ftatu pleuritidis inflammatorio conveniunt.

Neque veficantia veræ pleuritidi conveniunt; at in rheumatica, ut fupra oftendi, & in vera quandoque, viribus vitæ, ob evacuationes fanguineas prægreffas, collapfis, cardiacum remedium funt cantharides.

Empyema in pleuroperipneumonicis lethale; nam etfi fectione pus eduxeris a latere, pulmo tamen tabe confummitur.

Pulfus mire in pleuritide fallit, in corpore enim valde irritabili irregularis, inter-

mittens; subinde in brachio lateris affecti durus; subinde in utroque brachio mollis observatur.

Multi practicorum contendunt, se plures pleuritides, ubi dexter thorax affectus erat observasse; quamvis alii pleuritidem sinistri lateris æque frequentem esse dicant. Id tamen probabile est, sinistri thoracis pleuritides ob pericardii atque ipsius cordis viciniam magis funestas esse.

Muliebri sexui, ob minorem in inflammtiones propensionem, rarior pleuritis contingit; at tum in fœminis tum in viris, rarior utique ante pubertatem pleuritis, at si quondam occurrit, periculosior esse censetur.

DIAPHRAGMATITIS.

Inflammatio diaphragmatis, quo nomine hujus partis inflammatio, si analogiam vocabulorum spectas, quibus reliquarum partium inflammationes compellantur, aptius certe insignitur. *Paraphrenititis* enim nomen, merito ex practico systemate exterminandum est a) cum paraphrenitis mitiorem delirii febrilis gradum notet; in ipsa autem diaphragmatis inflammatione delirium haud constans morbi nota fit. Delirium enim illud mite, quo a phrenitide paraphre-

phrenitis difcriminatur, quibuscunque aliis etiam inflammationibus a diverfa materie non raro accedit.

a) Cel. Selle rudiment. pyretholog. Edit alt. pag. 127.

Sedem hujus mali ftatuit *Boerhaavius* vel in pleura, diaphragma obtegente, vel in ipfa diaphragmatis fubftantia. Cum autem variae fint regiones hujus membranae, quae inflammari poffunt, varia quoque inde fymptomata oriuntur.

Etfi ab *Avenzoar* memoretur hic morbus, tamen praetervifus eft a pofteris. Confunditur faepe cum ipfa pleuride, ob membranae fuccingentis continuitatem; cum hepatide gibbae partis, cum qua tamen non raro conjungitur; cum morbo maligno, ob pulfus tenues, inquietem, frigus extremorum; cum morbo biliofo, ob vomitus aeruginofos.

Quidquid movet, tendit, concutit, deprimit, furfum urget diaphragma, *dolorem inflammatorium* facit.

Ad haec fymptomata accedunt alia adhuc figna:

I. *Refpiratio fub motu thoracis peracta, fecus ac in pleuritide.* Miferi enim

ta-

tales ægri ſuperiores coſtas elevare & deducere nituntur, ut aliqua pectoris dilatatio pro inſpiratione adhuc fieri poſſit. Hinc ſublimis illa, & parva reſpiratio; ſed & frequens ſimul cum ſuffocationis moleſtisſimæ ſenſu.

2. *Introſurſumtractio Hypochondriorum:* Hypochondria autem introſurſum revelluntur, quia omni molimine cavent ægri, ob ſummum dolorem, ne diaphragma deſcendat inſpirando; hinc illud quaſi retractum ſuſtinent; ſed ſic ſimul hepar, ventriculus, lien, magis ſub hypochondriis quaſi reconduntur. Imo videtur *Galenus* a) illam hypochondriorum revulſionem pro ſigno pathognomonico diaphragmatitidis habuiſſe: ita autem habet: *Atque ut ſummatim dicam, eorum ſymptomatum, quæ phrenitidem antecedere diximus, aut nullum apparet, aut perexiguum in iis, quibus diaphragma inflammare incipit; ut rurſus ſurſum revelli hypochondrium, ilico ab initio ſepti transverſi affecti, proprium ſit; in cerebro vero affecto poſterius accidit, non incipiente affectu, ſed cum factus jam fuerit.* Et *Celſus* b) etiam ait: ſi ſeptum transverſum perculſum eſt, præcordia ſurſum contrahuntur.

a)

a) Galenus de locis affectis. L. V. C. 4.
b) Celfus. L. V. C. 26.

Dantur tamen alia adhuc figna, quæ ita adfunt inflammato diaphragmati, ut etiam ftante hac inflammatione abeffe poffint. Atque primo *delirium*, quod tamen non femper & ubique inflammatum diaphragma comitatur; *Convulfio* in irritabilibus accedit. *Rifus fardonius* etiam in aliis aliarum partium inflammationibus adeft; vidit *Stollius* hoc fymptoma etiam in cynanche fcarlatinofa, in inflammationibus gingivarum dente exitum moliente, in dormientibus.

Exitus habet eosdem cum pleuritide, excepto *afcite purulento*. Si nempe abfceffus natus in diaphragmate pus fuum effundit in abdomen, producit afcitem purulentum, repleto cavo abdominis, & diftento a pure hic accumulato. Sed difficulter determinatur, an pus in pectoris cavum vel in abdomen effufum fit, nifi totum jam abdomen magna copia puris repletum infigniter tumeat; fed hoc non nifi diu poft ruptum abfceffum contingit, adeoque fero tentaretur puris eductio.

Cura quoque cum pleuritidis cura hinc maxime convenit. Clysmata injecta, cum per totam longitudinem inteftini coli usque

ad

ad ilei finem venire possint, multum boni faciunt, quia intestinum colon, ubi circa hepar & lienem pergit, diaphragmati vicinum est; adeoque illud intestinum molissimis decoctis per clysma injectis repletum, fomentum applicat blandum & resolvens inflammato diaphragmati.

Historiam addo diaphragmatitidis lethalis gangræna terminata ex *Huxhamo.* Op. T. I. p. 301.

Historia morbi.

Vix sane observavi unquam cruorem, ab ægrotantibus detractum, magis densum atque glutinosum, quam hoc tempore, idque sæpe post quartam imo & sextam sanguinis missionem — hoc profecto notavi præcipue in primario *nosocomii* nautici chirurgo, qui ineunte mense *paraphrenitide* fuit peremptus.

Bonus hic & ingeniosus certe vir mane, tertio *Aprilis*, inhorruit, mox rigore maximo correptus, inter visitandum ægrotus, se recepit, protinus sævissimo dolore dorsi ac imi pectoris dextri percitus subcubuit, febricitavit vehementer. Missus est extemplo sanquis ad Unc. sedecim; me dein accerssiri voluit. Fotum emollientem, & laxans *enema*, præci-

ci-

cipio, *nitrique* plurimum & *ſpermatis ceti*, potum diluentem porro & ſubtepidum, liberalem; furente tamen usque dolore, ſub noctem alteram ſanguinis miſſionem ad Unc. ſedecim, fotumque iterum, & *enema* e lacte dulci cum ſale marino plurimo, quo bis, terve dejecit alvus; mox *Diacodii* Unc. ſemisſam ſumpſit ac *Tinct. Thebaic.* gutt. xxjv. — Tota nocte ejulavit, difficillime ſpiravit, tusſicula arida vexatus nil exſpuit — bene mane adeo, die quarto Unc. xjv. ſanguis detractæ ſunt, fomenta etiam & *cataplasmata* demulcentia admota, pauloque poſt injectum eſt emolliens *enema*, quo rejecto epotus eſt hauſtus *anodynus*: pacata hinc omnia per horas aliquot, acceſſit veſperi ſomnus. — Infidæ autem hæ induciæ! Nox maximis in moleſtiis acta; febris vehemens, ſpiritus brevis, interruptus, difficillimus, dolor acerrimus, ſitis ingens, lingua arida. — Ergo V. Aprilis H. 9. a. m. repetitur venæ ſectio ad Unc. XII. ſaltem. *mannæ* porro Drachm. X. cum ſale mirabile Glauberi Unc. Semiſſ. ex juſculo avenaceo aſſumptæ ſunt; ter hinc, quaterve reſpondit venter, ſæviſſimus tamen usque urget dolor, pulſusque celerrime vibrat, exilis quidem, ſed durus admodum: bis no-

ctu

ctu sunt repetita *anodyna*, unde sopor aliquis, at perturbatus valde. — Cum parum hæc omnia proficere viderim, *camphoram* cum *nitro* &c. exhibui, *haustusque salinos ex Sale Corn. Cerv. succo Limonum &c.*; ut nimirum per sudores forsan morbum elicerem; fœmoribus porro atque dorso *vesicatoria* applicari jussi. — Sudavit paululum inæqualiter, mox autem rigor invasit, dolorque dorsi & lateri immanis recruduit, adeo ut jam non modo exclamaret, sed & fureret plane; quinta adeo vice, die 6 nempe, post meridiem, sanguis emittitur ad Unc. XV. circiter; ad fomentum dein & *clysma*, nec non *anodynæ* confugimus, hinc quies aliqua, sed languor magnus, obrepsit denique somnus. Post sex vel octo horas inalgescens horruit, ejulavit, deliravit, se flammis atque ferro excruciatum intus, dextro e latere, exclamavit; (durum valde, sed retractum, persensi hypochondrium dolens) anhelavit quasi ex citissimo cursu, interim maximo nisu, at summo angore, quasi gladio perfossus, suspirium edere anxie desideravit. — Dubius omnino quid facerem, ultra sextam sanguinis missionem suadeo ad Unc. XII. circiter, fomenta iterum *cataplasmata & anodyna*. — Supervenit sopor, tremor, tendinum subsul-

[tus,

tus, ſingultus, atque ſe relevatum prædicat; quievit utique plurimum, ſed aliena murmurans & incondita — Frigidiculus occupat ſudor frontem, dum genæ intenſo rubore flagrant, nigreſcunt ungues, frigeſcunt manus; facilius vero movet, imo & ſe ſponte in lecto erigit, melius ſe multo autumans, ſi modo gravitas ſpiritus immenſa, & aliquantus usque lateris dolor ac pondus abeſſent. — At ego hominem plane moribundum video, ſepto transverſo nempe *ſphacelato*: tamen ſopores inter ſingultus & deliria, attingit noctem die ſeptimo menſis, paulo ante meridiem, obiit vir, ſi quis alius, vita dignus longiore. — Mox poſt mortem lividum quaſi a contuſione apparuit totum latus dextrum: os *ilium* ad usque. Hic caſus fuit vere *paraphreniticus*, cujus perpauca extant apud ſcriptores medicos hiſtoriæ: credo equidem longe ſæpius occurrit quam vulgo putatur.

Ab hoc ægroto intra quatriduum detractæ ſunt ſanguinis unciæ fere centum, cujus ſingula portio erat quam maxime viſcida, etiam ultima, licet ſero permulto tenuiſſimo limpido innatabat craſſamentum (parvula velut inſula globoſa, pene tamen prorſus ſubmer-

ſa)

ſa) quod firmiſſimo quaſi corio erat obductum, vix utique ſcalpello penetrandum.

INFLAMMATIO MEDIASTINI, PERICARDII, CORDIS.

Triplex hæc partium thoracis inflammatio cognitu non raro difficilis eſt, eo quod ob vicinum ſitum, una facile in alteram transeat, aut etiam binæ, aut omnes ſimul adſint. Non tamen magnus inde error practicus, medicum in transverſum aget; characteribus enim inflammationis topicæ manifeſtis, quæcunque demum pars inflammata ſit, antiphlogiſtica methodus adhibetur.

Signa *mediaſtini* inflammati præter febrim continuam inflammatoriam ſequentia apud *Avenzoar* a), & *Petrum Salium Diverſum* b) notantur: Inquietudo magna, & ſitis ingens, reſpiratio frequens admodum, & celeris; circa vitalia æſtus validus; in thorace tamen nullus acutus dolor, ſed ad ſternum anguſtia quædam potius, quam dolor; tuſſis, ſicca in initio, prodeuntibus poſtea ſputis coloratis, unde certo illos pro pleuriticis habuiſſet, niſi dolor lateris obfuiſſet. Optime autem notat *Salius Diverſus*, minus dolere inflammatum mediaſtinum, quia dilatato inter inſpiran-

randum thorace non diſtrahitur, ut pleura. Ubi vero inflammatio ad pericardium adeo vicinum propagatur, tunc ſyncope ſolet accedere, & pulſus mira perturbatio. Fatetur autem ſe eo diligentius ad hæc omnia attendiſſe, quia junior adhuc ſub præceptoribus celeberrimis ſtudio medico operam navans, viderat nobilem virum morbo; omnibus enumeratis ſymptomatibus ſtipato, decumbentem, præter ſpem occubuiſſe nono morbi die, dum omnia in melius tendere videbantur: aliquoties tamen ante mortem ſyncopen paſſus fuerat. Cum autem medici de morbo dubitarent; amici vero venenum datum fuiſſe ſuſpicarentur, voluerunt, ut in cadavere mortis cauſa investigaretur. Inventus autem fuit in mediaſtino tumor inflammatorius notabilis magnitudinis, & ſimul apparuit, inflammationem pro parte & pericardium occupaſſe. Nec ulla alia mortis cauſa in demortui cadavere inventa fuit.

a) Avenzoar L. I. Theiſir. T. 16. c. 11.
b) Salius diverſus de febre peſtilenti. p. 247.

Frequentius forte contingunt *mediaſtini* & *pericardii* inflammationes, quam creditur.

Cer-

Certe illæ causæ, quæ frequentissime pleuritidem producere observantur, efficaciter agere possunt & in has partes; aër nempe frigidus, vel & potus gelidus magno haustu ingestus, ab homine a labore, vel calore aëris admodum æstuante. Signa autem præcipua inflammati pericardii sunt, causæ prægressæ, æstus magnus circa thoracem medium, doloris pleuritici absentia, pulsus perturbatio, & animi deliquia. Sæpe potest & talis morbus pleuritidem vel paraphrenitidem comitari, & miram pessimorum symptomatum syndromem facere.

In prognosi majus periculum statuitur, quam in pleuritide, imprimis si pericardium inflammatum fuerit, ob cordis viciniam, & velocissimam hic humorum circumductionem. Adeoque curatio pleuritidis subito instituenda, ut per resolutionem sanari possit hæc inflammatio; omnis enim alius exitus inflammationis vel mortem subitam producit, vel molestissima, & vix superabilia relinquit mala. Si enim suppuratio hic oriatur, pus collectum in cellulosa illa substantia, quæ mediastini duplicaturæ interjacet, miras sibi poterit parare vias, dum proprio pondere descendit inter pleuram & corpora vertebrarum, sicque si-

nus

nus & fiſtulus inſanabiles producet, uti facile patet. Si in pericardio ſuppuratio facta fuerit, in ejus cavum delabi poterit, & cor undique alluere. *Rondeletius* a), qui hunc morbum obſervavit, in nobili viro invenit cor ſeroſo humore in ſaniem verſo, aut, quod mihi probabilius, lympha coagulabili tranſſudante, obducto.

a) Rondeletius de cognoſcendis morbis. C. X.

Vehementem ejusmodi mediaſtini inflammationem *Huxhamus* a) obſervavit anno 1746. „ Eſt etiam, & jam paſſim inſolita quædam pleuritis (ſi ſit ita nominanda), ut inter ſcutula operta acerrimus ſævit dolor, qui ad ſternum usque protenditur, maxima cum gravitate pectoris, & ſpirandi labore; interdum & per totam dorſi ſpinam, & hypochondrium imaniter cruciat, adeo ut vix reſpirare, aut tuſſire valeant; imo in molimine tuſſim aliquando ſupprimere nituntur ob doloris vehementiam; volunt ſe ſubinde in lecto eſſe erectos, mox vero ejulantes, impatientes, atque prorſus impotentes recumbunt; urget adeo jactitatio perpetua, anxietas horrenda, tormentum intolerabile; continua vexantur tuſſicu-

ficula, at parum aut nihil exſpuunt, vel ſpumoſa & cruda penitus; accedit interdum ſingultus, quem paulo poſt ſequitur inæqualis, frigidus oleoſus ſudor, breviquc mors. Eſt profecto acutiſſima febris, & intra perpaucos dies jugulat: robuſtum quemdam juvenem quarto die inter tuſſiendum violenta nervorum diſtentione correptum atque abreptum novi. "

a) Huxham Op. Tom. I. p. 336.

At ipſa etiam cordis ſubſtantia inflammatione ſubinde corripitur. Signa carditidis ſunt calor magnus circa vitalia, dolor inflammatorius obtuſus in regione cordis, anxietas ſumma, ſyncope, & pulſus omni modo irregularis.

Hinc ratio habetur collecti puris, ſeri, aut lymphæ coagulabilis in pericardio. Abſceſſum cor undique circumplectentem, & inde jam ferme putreſcens invenit *Columbus* a) Idem diſcipulum in Romana Academia mortum ſecuit, ſæpius in ſyncopen delapſum, qua & periit; credidit autem pericardium omninc defuiſſe; ſed longe videtur probabilius illud cordi fuiſſe accretum. *Ruyſchius* b) obſer-

ſervabat cor hominis, qui febre continua cum intolerabili dolore circa pectoris anteriora laboraverat; cor autem ſcabrum in ſuperficie exteriori pericardio concreverat. *Freind* c) teſtatur, ſe vidiſſe pericardium, in toto ſuo ambitu quartam pollicis partem æquans craſſitie, & accretum cordi adeo firmiter, ut nullibi ſeparari potuerit absque laceratione; partim autem ſcirrhoſum erat pericardium, partim plenum parvis abſceſſibus.

a) Columbus de re anatom. *L.* XV. p. 267.
b) Ruyſchius. Theſaur. anat. VI. N. 36.
c) Freind. Hiſtory of phyſick.

HEPATITIS ET ICTERUS MULTIPLEX.

Diviſio & fallaciæ hepatitidis.

Non infrequens morbus *hepatis inflammatio* habenda eſt; nam eædem cauſæ, quæ inflammandis aliis viſceribus idoneæ ſunt, hepar quoque non raro inflammant, atque hepatitidem *originariam* producunt; etſi quandoque cauſæ hepatitidem producentes *intus* naſcantur, & humore quocunque acri ad ſyſtema hepaticum depoſitio *hepatitidem ſymptomaticam* conſtituant.

Sæpe medicis imponit ſub ſpecie *pleuro-peripneumoniæ*, tunc ſcilicet, ſi gibba hepatis pars inflammata reſpirationem difficilem reddit, atque in dextro latere dolor punctorius, vehemens ad jugulum usque pertingit, tuſſi atque inſpiratione auctus. Error tamen is, cum eadem medendi methodus adhibenda ſit, ægro nil detrimenti adfert. Magis funeſtus is error eſt, cum medicus hepatitidem pro *febre* bilioſa habet. Sæpe medicos in eum errorem ſeductos vidi, 1) ob colorem faciei, oculorum, urinæ ſimilem in utroque morbo; 2) ob amarorem oris, nauſeas, vomituritiones, vomitus bilioſos; 3) ob anxietatem &c. Verum facile is error vitari poterit accurato ægri examine, & conſtitutione epidemica ſimul perpenſa.

Cauſæ hepatitidis.

Ad cauſas generales, quæ hepatitidem producunt, pertinent præcipue metaſtaſis materiæ, ſeu inflammatoriæ, aliud prius viſcus occupantis, ſeu febrilis, quæ cum humore biliformi commixta ad hepar decumbit. Frequens hæc metaſtaſis in febribus bilioſis, dum materies morbi nondum debite ſoluta inepta medicatio-

ne

ne ad exitum urgetur. Subinde tanta eſt bilis abundantia, aut acrimonia, ut ſumma vi in hepar ruat, idque inflammet.

Hinc æſtas adulta præ ceteris, anni temporibus hepatitidi favet. Ita *Bianchi* a) fervidis, aridisque æſtatibus in noſocomiis militum epidemicum tale malum obſervavit. Acutiſſima ſtatim orta febre ægri percipiebant ardorem ſummum in hypochondrio dextro; urina aderat flammea; vix tumor ad hepar apparebat, vel tenſio, in aliquibus macula quædam ſaturate rubra totum dextrum hypochondrium occupabat. Illis, qui evaſuri erant, tertia die ſymptomata minuebantur, & quarta die evaneſcebant absque manifeſta criſi. Perituris vero nec febris, nec ſymptomata remittebant, ſed ſubita correpti phrenitide moriebantur quarta vel quinta die: notat autem, non adfuiſſe dolorem gravativum, neque tenſivum, ſed acutiſſimum, & perterebrantem quaſi. Similem utcunque hepatitidem æſtivo tempore ortam pariter, a bubulæ carnis eſu & ebrietate deſcripſit *Hippocrates* b) ibique notat: *dolores acutos ingruere, neque ulla hora deſerere, ſed ſemper magis urgere.* Eryſipelatoſam autem hanc hepatis inflammationem fuiſſe contendit *Bianchi*, partim ex rubore

hypochondrii dextri, tum etiam, quia in muliere quadam similem morbum viderat, qui tertia die mortem minitabatur; verum subito tota facie erysipelate fervidissimo occupabatur, & quarta die febris, & hepatis malum absque ulla alia evacuatione cessabant.

a) Bianchi histor. hepat. p. III. T. I. p. 426.
b) Hippocrat. de internis affectionibus.

Examinandæ veniunt nunc nonnullæ causæ, quæ huic loco maxime propriæ sunt.

Obesitas omenti ingens. Omentum, quod in abortibus & recens natis infantibus subtilissimi serici tenuitatem superat, quando nullam pinguedinem in se continet, imo & in adultis, sed macilentis hominibus tenerrimæ structuræ apparet, potest mele augeri immaniter, dum in obesis optima pinguedine repletur: turgentis in his aqualiculi moles pro maxima parte ab omenti obesitate pendet. Videmus in saginatis bobus quandoque centum libras æquare omentum, quod tamen omni pingui inde ablato, paucas tantum membranulas relinquit. Hinc tanta omenti moles premendo vicina omnia viscera nocere potest. Verum majus discrimen obtinet, dum

per

per motum corporis validum, vel febrim acutam ſtagnans hoc pingue funditur, & circulantibus humoribus miſcetur. Per corporis enim exercitia valida, & morbos acutos moveri ſtagnantem pinguedinem & exire de corpore docent certiſſima, & quotidiana obſervata. Sed omentum nullum habet vas excretorium, & omnis illa pinguedo fuſa, vel motu per morbum, vel calidos labores, per epiploicas venas directe abit in venam portarum, adeoque ſubito totum hepar inundatur hoc pingui oleo, quod difficillime per ultimas anguſtias vaſorum tranſit, & peſſimas obſtructiones producere poteſt; imprimis in illo viſcere, quod primo oleoſæ hujus plethoræ impetum excipit.

Atrabilaria ſanguinis biliosæ temperies. Talem hepatitidis cauſam *Hippocrates* a) poſuit: *Hic morbus oritur ab atra bile, quando ad hepar confluxerit.* Monet etiam quandoque adeo pernicioſum eſſe hunc morbum, ut ſubitam mortem inducat. Ubi nempe in magnam acrimoniam ſimul degeneraverit atrabilaria hæc ſaburra, tuncque ſubito omnia deſtruat.

a) Hippocrates de internis affectionibus.

Acrimonia. Pus, ichor, fcorbuticus humor, fi ad hepar metaftafis fit, acrimonia fua hoc vifcus inflammant.

Bilis. Ubi enim bilis cyftica mora acrior facta per calorem aëris æftivi, motumve corporis validum ad putredinem vergere incipit, tunc certe vicinum hepar, cui veficula fellis dimidia fere fui parte accrefcit, peffime afficere poterit.

Lapis &c. Ad caufas prementes, quæ premendo vaforum fines coarctare poffunt, pertinent calculus, lapis, fcirrhus, fteatoma, abfceffus &c. premendo partes contiguas poffunt impedire & turbare liberum fanguinis venæ portarum per hepar tranfitum, vel & bilis fecretæ jam exitum liberum fiftere.

Caufæ vero præcipuæ, quibus fanguis per venam portarum movendus ita difponitur, ut libere tranfire nequeat per ultimos fines anguftos venæ portarum in hepate fequentes funt.:

Subita perfrigeratio. Maximo fe difcrimini exponunt, qui a laboribus æftuantes gelido potu affatim hauftu ventriculum replent; longe magis, fi glacie frigidiffime redditum potum ingurgitant. Simile etiam difcrimen imminet a natatione, dum quis fudans a labo-

ri-

ribus aquæ frigidæ corpus immergit; vidit *Swietenius* aliquoties ab hac causa hepatitidem, & pertinaces admodum icteros natos fuisse.

Sitis diuturna; quia sanguis venosus vasorum abdominalium defectu liquidi per venulas meseraicas resorpti, crassimus redditur, antequam per venam portæ in hepar propellitur, adeoque hærebit facillime in angustiis ultimis vasorum.

Febris ardens. Ob sitim enim in hac febre immanem, atque ingentem in totius corporis siccitatem inflammatio in hepate facile poterit excitari. Quondam pessima illa methodus invaluerat, ut etiam in fervidissimis morbis omnis omnino potus miseris ægris negaretur, vel saltem concederentur parcissima tantum copia. Facile patet tunc, & similia in hepate nasci potuisse mala, ac dictum fuit. Sapientes veteres medici sollicita morborum observatione didicerant, in pessimis morbis ab hac causa sæpe hepar affici, hinc hypochondria explorabant in tali casu, an tumere aut dolere inciperent, & præcipue hypochondrium dextrum, atque inde pulcherrima deducebant præsagia circa varios morborum exitus in sanitatem, mortem, vel alios morbos.

Sum-

Summæ animi perturbationes. Videmus enim in his animi affectibus omnia vasa constringi subitissime, unde statim anxietatis, & ponderis gravantis sensus circa præcordia percipitur, humorum libero transitu per vasa impedito. Præterea a validis animi motibus atrabilariam humorum temperiem produci notum est.

Vomitoria. Vehementi enim vomitu motus sanguinis venosi abdominalis acceleratur, adeoque majori impetu ruet per venam portarum in hepar. Si vasa pervia sint in hepate, & sanguis meabilis, ab hac motus acceleratione non multum mali exspectandum est. Verum si atrabilaria materies per concussus illos inter vomendum subito mota in hepar ruat, vel viscus illud antea jam labefactatum in morbis chronicis fuerit, magnum sæpe malum imminet ab accelerato motu sanguinis per venam portarum. Observatum sæpius fuit in tali casu, lethalem hypercatharsin, sanguinisque sursum & deorsum evacuationes subitas secutas fuisse post vomitorium datum.

Mala hypochondriaca inveterata. Ubi in toto sanguine mobilioribus a quacunque causa dissipatis, crassiora & minus mobilia coiverint, producitur illa sanguinis cacochymia,

quæ

quæ atrabilaria medicis vocatur. Ubi vero eadem caufa perennante, quæ hanc cacochymiam produxerat, in vifceribus abdominalibus colligitur materies atrabilaria, tunc vocatur morbus hypochondriacus fine materie; adeoque ex illis, quæ paulo ante dicta fuerunt, fatis intelligitur, quare tale malum inveteratum hepatitidis caufa effe poffit, fi nempe caufa quædam folvens hanc materiem atrabilariam, & movens in hepar acceſſerit.

Prognofis hepatitidis in genere.

Ut autem ex artis regulis in hoc morbo determinetur, quid boni fperandum fit, quantumve mali metuendum, præcipue attendendum ad fequentia.

1. Varietas difpofitionis præcedentis in hepate. Si enim hepar antea fcirrhofum fuerit, vel calculofis concretionibus infarctum, facile intelligitur, difficilius fanari hepatitidem, quam fi hæc mala non præexftitiffent.

2. Varietas materiæ motæ & inflammantis: Pinguedo e. g. omentis fubito foluta, & in hepar mota, peffimas inflammationes facere poterit. Ubi vero atrabilaria materies acris jam reddita, in hepar propulfa, morbi

cau-

caufam conftituit, facile patet, nullam fpem fupereffe.

3. Pro varietate caufæ pellentis. Si enim valida admodum febris comitetur hepatitidem, tanto major metus eft funefti eventus, cum refolutio inflammationis fedatum motum fanguinis requirat.

Effectus Hepatitidis.

Effectus hepatitidis varii funt pro varia parte inflammata hepatis.

1. Si *fuprema* pars fit inflammata, cum vicino diaphragmate, fæpe cum thorace ipfo erit dolor *punctorius*.

2. Si medium hepatis inflammatum, erit anxietas inexplicabilis, jactatio, impedita fecretio bilis per vifcus inflammatum, color cereus, aut céreo coccineus, ardor, fitis ingens, febris ardens, pulfus exiles, formicantes, leipothymiæ crebræ.

3. Si infima pars cum veficula fellea, ductu hepatico, cyftico, choledocho, fæpe cum inteftino ipfo, erit vomitus æruginofus cum ictero & prioribus fymptomatibus auctis.

Sed ulteriores adhuc dantur effectus, ex quorum præfentia hepatis inflammatoriorum

vi,

vitium innotefcit. Ob circulationem humorum per vifcus inflammatum impeditam, plethora oritur abdominalis, fanguis in vena portæ congeftus, hinc terribilis anxietas.

Hepar inflammatum tumet, tumore vicina premit, potiffimum ventriculum; inde vomitus ab ingeftis, ventriculus diftentus verfus hepar urgetur, inde major anxietas. Coftæ fpuriæ extrorfum premuntur, inde dolor. Tumor tactu deprehenditur, preffusque dolet.

Impedito humorum motu per hepar, fanguis in vena portæ fiftitur, itemque in arteria cœliaca. Hinc cardialgia. Falfo accufatur tunc ventriculus.

Bilis nondum fecreta icterum non facit, fed faciem ceream, & cacochymiam biliofam. Neque tamen femper obftructio requiritur in pulfu hepatico, aut cyftico, aut communi; nam vidit *Stollius* a) patulis viis his icterum.

a) Stoll ratio medendi Tom. III.

Signa hepatitidis.

Confideratis hepatitidis effectibus, illorumque caufis explicatis, figna, quibus hepatitidis ab aliis vifcerum inflammationibus digno-

noſcitur, ulteriori explicatione non indigent. Sunt autem ea ſigna, præter febrem acutam inflammatoriam, ſequentia:

1. Dolor gravativus hypochondrii; dolor obtuſus, attactu auctus.

2. Decubitus facilior in dorſo; minus facilis in ſiniſtro; difficilis in dextro.

3. Reſpiratio thorace potiſſimum dextro peragitur; inſpiratio difficilis, facilior exſpiratio.

4. Signa ſaburralia.

5. Anxietas.

6. Alvus tarda.

7. Urina parca, crocea, oleoſa, cum ſedimento lateritio.

8. Inflammatio partium vicinarum.

9. Hæmorrhoides.

10. Icterus.

EXITUS HEPATITIDIS IN SANITATEM.

Lyſis.

Benigna morbi ſolutio locum habet, ſi inflammatio recens, rheumatico, arthritico, venereo ſtimulo imtermixta. Ars tunc tantum ſubminiſtrat copiam diluentis vehiculi,

re-

remedia talia, quæ absque motus circulatorii augmento solvunt illa, quæ hærere incipiunt in angustiis vasorum hepaticorum: qualia sunt serum lactis recens, juscula diluta, quibus incoquuntur lactucæ, borraginis folia, scorzoneræ radices &c. hordeum, oryza, succi fructuum hordeorum recentes, vel leviter cocti, roob ribesiorum, sambuci, & similia, cum nitro, sale mirabili Glauberi &c. Eliguntur autem imprimis illa, quæ putredini hic metuendæ, quam maxime adversa sunt, & simul mollia satis, cum blanda humorum indoles ad curam per resolutionem obtinendam semper necessaria sit. Epithemata ex similibus parata eidem scopo inserviunt. Clysmata autem laudantur pariter, quia & in collo hærentia blandum fotum hepati largiri, & quia remedia solventia sic injecta, venis bibulis resorpta, directe, & in integris suis viribus ad locum affectum in hepate pervenire poterunt. Frequenter in febribus autumnalibus levis talis hepatitidis signa inveniuntur; anxietats quadam circa præcordia potius, quam dolore, faciei ceraceo quasi colore, urinis biliosis, levi quandoque flavedine in albo oculorum, imprimis circa angulum majorem cognosci hoc poterit, & solet simili methodo feliciter cura-

ra-

rari talis morbus, qui neglectus in principio, vel maximo motu, per vomitoria excitato, dum urgetur materies nondum resoluta, & profundius impingitur in extremis vasorum angustiis, chronicos morbos difficillime curabiles postea producere poterit. Tales leviores hepatitidis etiam in febre biliosa nonnunquam ante turgescentiam oriuntur.

Crises hepatitidis.

Variæ sunt viæ, per quas materia morbi cocta cum felici successu exire solet de corpore, quæ singulatim expendi meretur.

1. Judicatur hepatitis diarrhæa biliosa; non eo sensu, quod bilis alvo educatur, sed quod materia flavo colore bilem referat. Subinde materia hæc alvo rejecta, sputorum peripneumonicorum ad instar, striis sanguineis permixta sunt, ut quandoque dysenteria adesse credatur. Ante quartum autem diem talis diarrhæa accidere debet; quia, si serius accidit, per se jam non benigna resolutio, sed suppuratio speranda est, nisi per artem succaratur.

Generalem regulam posuit *Hippocrates* a) in morborum curationibus: *quæ ducere oportet,*

tet, ducenda sunt, quo maxime vergat natura, per loca convenientia. Cum ergo alvus incipit fluere biliosa cum pauco cruore ante diem quartum, illam evacuationem promovere oportebit, non quidem per valida purgantia, quæ totum corpus turbant, sed per lenia illa abstergentia, quæ materiem morbi amplius attenuare valent, & mobilem reddere, & leni stimulo simul alvum promovent. Serum lactis recens, vel æstivo tempore, dum armenta læte virentibus herbis pascantur, optimum est, & pro potu communi, & medicamenti titulo; efficacius adhuc illud redditur, si decoquatur cum herbis lactescentibus e. g. radicibus endiviæ, cichorei, scorzoneræ, taraxaci &c., quarum egregiæ vires in resolvendo viscido febrili notæ sunt. Conveniunt hic etiam subacida, vel acescentia e. g. tamarindi, roob sambuci, syrupus e succo citri, diluta in sero lactis, decocto hordei, avenæ &c. Simul etiam epithemata & fomento dextro hyponchondrio, imo & toti abdomini applicantur. Clysmata ex similibus parata injiciuntur frequenter, ut eluantur intestina crassa, & simul hac spe, ut pars eorum, si diutius retineantur, per venas mesentericas resorpta, directa via in hepar tendat,

tiat, ibique diluendo, resolvendo, abstergendo prosit. *Hippocrates* b) sic in cura hepatitidis betæ decoctum cum melle & nitro laudavit pro clysmate; dedit sorbitiones hordeatas cum melle; pro potu mel, aquam, acetum simul permista, quæ similem, ac modo dicta, effectum præstant.

a) Hippocrat. aph.
b) Idem de internis affection. Cap. 1.

2. *Urina.* Uti materia inflammata soluta in hepate biliosa vasa intrans commode per potum hepaticum in intestina delabitur, & per alvum exit, ita & eadem materia ex finibus venæ portarum obstructis in venam cavam ire potest, sicque circulantibus humoribus permista, per varias vias expelli de corpore. Cum autem per urinas naturali lege plurima exeant de corpore, quæ relicta nocerent, ita & in hoc casu fieri poterit. *Galenus* copiosis urinis profluentibus hepatitidem levari posse tradidit; & *Trallianus* a) radicis apii leve decoctum cum oxymelle commendat in hepatitide, ubi inflammatio concoqui incipit: nam per urinas materia subtrahitur ait, & tumor imminuitur.

a) Trallianus L. VIII. Cap. 1.

Pro-

Profunt hinc fere omnia, quæ numero præcedenti laudata fuerunt; imprimis ſi larga copia aquæ vel ſeri lactis diluta ſint, ut copioſum præbeatur urinæ vehiculum. Taraxacum, & ſimilia vi detergente diuretica huic ſcopo pariter inſerviunt. Non enim hic requiruntur acria diuretica, ſed leniora tantum.

3. *Superveniens dolor mitior lienis.* Mitior talis lienis dolor non juvat, quatenus excretionem materiæ morboſæ facit, ſed tantum eſt ſignum, quod hepatis vaſa infarcta liberari incipiant, adeoque per alias tunc vias excretio materiæ ſolutæ & mobilis redditæ erit exſpectanda. Simul etiam apparet, tunc mitiorem talem lienis dolorem pro bono ſigno habendum eſſe tantum, ubi nulla ſigna ſuppurationis adhuc adſunt; quia in valida hepatitide, & in vomica hepatis jam nata, talis dolor in liene naſcitur ideo, quod vena lienaris impediatur ſanguinem ſuum tradere venæ portarum. Sic obſervatur quandoque talis dolor circa lienem, ubi hepar in ſcirrhum indureſcit; uti etiam in ictero pertinaci. Etiam in hoc caſu nihil alind requiritur præter illa, quæ modo dicta ſunt.

4. *Hæmorrhagia narium.* Quantum boni in morbis acutis ſalubris narium hæmorr-

hagia faciat, omnibus notum eſt. Neque talis hæmorrhagia ſolum prodeſt, quatenus copiam ſanguinis minuit, cum multo plus juvare obſervetur, quam aliæ quævis per artem factæ ſanguinis evacuationes. Sæpius obſervatur in morbis, critica tali hæmorrhagia exire ſanguinem magis nigricantem, neque colore illo rutilo præditum, qui ſanguini arterioſo proprius eſt, & quidem ſummo cum levamine. Vidit *Swietenius* in pleuritico juvene poſt quintam etiam venæ ſectionem vix mitigari potuiſſe morbum, per nares autem erumpente ſanguine craſſo, nigricante, ſatis copioſo, ilico ſedari febrim, & levari omnia ſymptomata. Similem effectum & in hypochondrii tumore duro & dolente notavit *Hippocrates* a) *Accidit autem & his in primo circuitu ſanguinis e naribus profluvium, & plurimum confert.* Et *Galenus pariter affirmat, omnes, quæ in hypochondriis fiunt, calidas & acutas inflammationes, hæmorrhagia narium judicari.* Verum addidit, quod per *directum* fluere debeat ſanguis; hepate nempe affecto ex nare dextra; & viciſſim liene, vel locis vicinis ægrotantibus ex nare ſiniſtra; quod ſolis obſervationibus antiquorum medicorum conſtat. Forte tamen quandoque hæc regu-

la

la exceptionem patitur. *Heraclidæ* conjugi c) febre acuta laboranti, tertia morbi die icterieæ factæ, quarto die sanguis ex nare sinistra probe effluxit, & septima die integre judicata fuit. Verum quidem est, quod huic mulieri & menstrua ordinate fluxerint, & simul sudores toto corpore manantes & criticos habuerit, adeoque morbi solutio solæ per narem sinistram hæmorrhagiæ tribui non debeat. Verum & sæpius observatur, non unica tantum, sed pluribus diversis evacuationibus criticis morbos curari, & quidem in simili morbo. Nam *Hippocrates* alibi monuit d) in febribus ardentibus quibusdam ægris sexto die icterum supervenisse, talibusque profuisse per vesicam purgationem, aut alvi exturbationem, aut largam hæmorrhagiam; notatque simul, tres has evacuationes contigisse Heraclidæ, qui vigesimo die judicatus est.

a) Hippocrates in prognosticis.
b) Galenus de crisibus Lib. III. Cap. IV.
c) Hippocrat. Epidem. VII.
d) — — Epid. I.

Quibus signis prævideatur futura narium hæmorrhagia, in primo horum commentario-

rum volumine dictum eſt; quæ ergo dum adſunt, ſalubre hoc naturæ molimen promovendum eſt, quod pulcherrime fit fomentis tepidis fronti applicatis, & imprimis vapore tepido per nares attracto, qui longe plus laxat & emollit, quam ipſa aqua calida. Solent larga tali & critica narium hæmorrhagia ſtatim minui omnia ſymptomata, & rarius contingit, ut periculum immineat a nimis copioſo ſanguinis fluxu: ſimulac enim debilitari incipiunt ægri, & in animi deliquium fere delabi, contrahitur patula in naribus arteria, & ceſſat hæmorrhagia. Si vero his ſignis apparentibus pergeret, adhuc ſanguis effluere, tunc compeſci deberet hæmorrhagia; non aliter: magnum enim periculum immineret recidivæ periculoſæ, ſi intempeſtive nimis meticuloſus medicus narium hæmorrhagiam ſupprimeret.

5. *Sudor.* Criticis etiam ſudoribus, quamvis rarius, hepatitis ſolvitur. Ipſam bilem infarcto hepate, in ſanguinem regurgitantem per ſudores amaros exiviſſe de corpore in ictericis, obſervavit *Galenus* a); & ſpiſſum ſudorem, lintea croceo colore tingentem in icterica muliere prodiiſſe, evaneſcente poſt hunc ſudorem ictero, vidit *Chomel.* b)

a)

a) Galenus de sanitate tuenda. L. IV. c. 4.
b) Academie des scienc. l'ann. 1737. p. 69.

Sudores tales critici sustinendi sunt largo usu diluentium. Calida autem sudorifera, quæ movendo celerius humores effectum præstant, hinc minus tuta sunt. Largus seri lactis calidi potus una cum tepore lecti, feliciter talem sudorem criticum sustinet & promovet, novoque liquido subministrato sanguini impedit, ne per sudores copiosos liquidissima sui parte orbetur nimis.

Quamdiu motus febrilis durat moderatus, & simul solventia illa remedia adhibentur, possunt obstructiones tales in hepate natæ reserari, & in integrum sanitas restitui; verum si in melius vergente morbo æger pertæsus curam ulteriorem respuat, vel minus attentus medicus morbi residuum non expugnet, solent manere mala chronica curatu difficillima, & imprimis scirrhosæ in hepate indurationes. In febribus autumnalibus epidemicis, post fervidissimas æstates natis toties hoc contingit, ut levis simul hepatitis adsit; & dum sublata febre nondum sublatum est omne, quod hepatis vasis infarctum hæserat, sæpe postea languidam vitam ducunt, pallidi, subflavescen-

tes

tes, & difficillime ad integram ſanitatem reducantur: ſaltem longe pluribus opus erit poſtea, ut tollatur hepatitis obſtructio jam inveterata. Hoc autem ideo imprimis fit, quia ſanguis venæ portarum, jam venoſus factus, minori impetu movetur, carens jam maxima parte motus a corde & arteriis ſanguini communicari. Unde *Hippocrates* a) ſub alio quamvis nomine hepatitidem deſcribens, optime monuit, quod multis ſedatus (non curatus integre) ejusmodi morbus revertatur, tuncque periculum ſit, ne æger contabeſcat: deinde addit, quod ſedato morbo optimam adhuc victus rationem inſtituere debeat æger, & per 45 dies lac vel ſerum lactis bibere, ſi anni tempus faveat, quia morbus gravis eſt, & multa cura indiget.

a) Hippocrates de internis affectionibus *Cap.* I.

Quænam curatio requiratur ad morbos inflammatorios, ubi adhuc ſpes eſt inflammationem reſolvendo curari poſſe, interim nulla ſigna docent, coqui & ad excretionem diſponi materiam morbi, ſatis explicatum fuit in morbis acutis inflammatoriis hactenus pertractatis: ſimilis enim medela requiritur. Unde & *Hippocrates* a) ſimpliciter dixit. *Huic*

(*he-*

(*hepatitidi*) *confert, cum dolor detinet, tum alia, tum fomenta eadem, quæ pleuritidi admovere.* Adeoque hæc non repetentur. Verum leniter alvum ſubducentia, absque majori motu excitato, hic imprimis laudantur; quia & conducit inteſtina craſſa nullis fœcibus diſtenta eſſe, cum colon notabili ſui parte ſecundum hepar decurrat; tum etiam quia illud, quod in hepate hæret immeabile, dum ſolvitur, facilem viam per ductum hepaticum in inteſtina invenit. Clysmata autem laudantur ad eundem finem, tum etiam quia hæc injecta, diuque retenta, ſicque per venas meſeraicas reſorpta, in hepar deferunt integras vixque mutatas remediorum vires. Simile quid indicaſſe videtur *Aretæus* b), cum dicit: *Inedia primum jubenda eſt, poſtea ciborum paucitas, ut ingredientibus* (*medicamentis*) *hepar vacuum fit*: Id eſt, ut hæc facile penetrare in vaſorum anguſtias poſſint. Diſtinguuntur ſic variæ icteri ſpecies a diverſitate cauſæ, quæ illas produxit; idem manet huic morbo nomen, dum interim diverſam curationem requirit.

a) De internis affection. Cap. XXXIX. p. 650.
b) De curatione morbor. acut. Lib. II. cap. VI. p. 106. 107.

Effectus hepatitidis præsentis enumerati ſunt, qui ſimul ſigna diagnoſtica exhibent hujus morbi. Inter illa ſigna & color ictericeus numeratur. Deſignat autem ſemper talis color, bilem, vel bili ſaltem proximam materiem in ſanguinem regurgitaſſe, ubi naturaliter adeſſe non debebat, adeoque vitium eſſe in illo viſcere, quod bili ſecernendæ, & in inteſtina ſecernenda ſervit. Omnium autem prima coloris ictericii indicia in adnata oculorum tunica apparent, & omnium ultima; reliquis hepatitidis ſymptomatibus jam ceſſantibus, vel ſaltem plurimum imminutis, talis color adhuc ibi manet, quamvis dilutior. Pariter & in urina intenſior flavedo obſervatur, & fœces alvinæ vel albicant, vel griſeo colore argillam fere referunt, dum bilis vel omnino non, vel ſaltem longe minori copia in duodenum inteſtinum exit, quam in ſanitate ſolet.

Ubi ergo nulla amplius flavedo in oculis obſervatur, nec ceraceus ex pallido flaveſcens color, urina & fœces naturalem colorem habent, nullus dolor circa hypochondrium, &c. ſanitas perfecta adeſt.

Crisis erronea.

A crisi erronea variæ chronicæ ægritudines oriuntur. Ea enim est lymphæ coagulabilis natura, quam in explicatione peripneumoniæ, & pleuritidis exposui, ut in varia corporis cava effundi soleat, atque præternaturales partium inter se cohœsiones efficiat. Hinc colica chronica insanabilis; alvi segnities, vomitus ingestorum; volvulus; ileus. Quorum morborum origo ex repetitis, fidisque anatomicis sectionibus extra omne dubium positus est.

Suppuratio hepatis.

Quomodo & quibus de causis inflammatio in suppurationem tendat, jam antea dictum fuit, tam in historia inflammationis, quam in morbis acutis inflammatoriis antea pertractatis, adeoque sufficiet hic notasse illa, quæ in hepate suppurationem periculosiorem reddunt, quam in aliis locis corporis.

Totum hepar sanguine plenum est, molle, & friabile viscus, unde *Aretæus* a) dixit. *Totum jecur est instar sanguinis gelati;* sed sanguis ille proximam bilis materiam habet, & præterea insignis hepatis pars ducti-

bus

bus ſecretoriis, bilem jam continentibus, conſtat: unde omnia hic adeo in putredinem prona ſunt. Sed ad benignam ſuppurationem etiam requiritur humorum blanda indoles, adeoque patet, hic ſemper funeſtam putredinem metuendam eſſe, & longe frequentius obtinere, quam benignam ſuppurationem. Unde *Aetius* b) dixit: *Omnino conſimilia ex hepatis ulceribus promanare ſolent his, quæ a mortuorum corporibus deſtillant.* Sæpius vidit *Illuſt. Swietenius* in defunctis ab hepatitide fœdo ſpectaculo ex ore & naribus cadaverum amurcoſam talem olidiſſimam materiam exiviſſe. Ideo & *Hippocrates* c) pulcherrime notavit diverſum exitum ſuppurationis in hepate natæ, dicens: *Qui ſuppurato hepate uruntur, ſi pus purum & album fluat, evadunt; in tunica enim his pus ineſt: ſi vero qualis amurca fluat, pereunt.* Ubi enim bona ſuppuratio fit, in uno loco circumſcripto pus colligitur: & forte hoc tunc imprimis fit, quando circa exteriorem convexam hepatis partem vomica hæret, per externam hepatis membranam coërcita & tecta: ubi vero in intima ſubſtantia hepatis abſceſſus fit, tunc in amurcæ ſimilem putrilaginem omnia convertuntur, & nulla ſpes ſupereſt.

a) Aretæus de curat. morb. acut. Lib. II. c. 6.
b) Aetius ſerm. 10. lat. edit.
c) Hippocrat. aph. 45. ſect. VII.

Signa abſceſſus futuri in hepate.

Ubi certi ſumus in hepatitidem inflammatoriam prægreſſam fuiſſe, tunc non adeo difficilis eſt diagnoſis exitus hujus inflammationis in ſuppurationem; nempe:

1. Ex ſignis anamneſticis, quæ prægreſſam inflammationem revocant in cognitionem medici.

2. Si neque reſolutio, neque critica excretio præceſſerit.

3. Ex doloris remiſſione, ſuccedente pulſationis ſenſu, manente ictero, & horroribus vagis, qui, ut in reliquis inflammationibus in ſuppurationem tendentibus, accedunt, ita hepatis quoque orituros abſceſſus prænuntiant.

4. Longior inflammationis duratio, neque reſolutione, neque critica evacuatione ſubſecuta, ſymptomatibus tamen haud ita ferocibus, ut gangrænam metuas.

Signa facti abſceſſus.

Factum eſſe noſcimus:

1. Ex ſignis prægreſſis hepatitidis.

2. Ex tumore loci. Notum eſt ex anatomicis, quantum ſpatium in abdomine occupet hepar; adeoque in variis hypochondrii locis talis tumor apparere poterit. Præterea non tam facile ſenſibus deprehenditur talis vomicus hepatis, niſi verſus exteriora promineat; ſi enim circa concavam hepatis partem hæſerit, neque magnæ molis fuerit, patet facile, difficulter diſtingui poſſe talem tumorem.

Præterea veſicula fellis, contento liquido diſtenta, fundo ſuo prominere ultra limbum coſtarum, poſſet & fallare abſceſſus ſpecie. *Swietenius* anno 1732. cadaver aperuit mulieris pauperculæ, quæ diuturno ictero conflictata, ultimis duobus vitæ menſibus nullos cibos ferre poterat, ſicque lento marasmo confecta perierat. Ante aperturam luſtrans cadaver invenit ſummam macilentiam, cutim ubique flaviſſimam, & in ilio dextro tumorem mollem, qui ab ultimo limbo coſtarum ad criſtam oſſis ilii usque pertingebat; & cum dolorem pertinacem ante mortem diu in toto hypochondrio, & in ilio dextro habuiſſet, ſu-

ſuſpicabatur, forte vomicam ingentem hepatis hic latere poſſe. Verum aperto cadavere ſequentia invenit.

Ventriculus erat ingens, flatulenta materia diſtentus, & a binis ſuis orificiis pendulus tam profunde deſcendebat, ut fundus ventriculi tribus tantum digitis transverſis differret ab oſſe pubis. Omentum ventriculi fundo nexum, & colum profundius adhuc detruſa fuerant; hepar luridi coloris apparebat, durum, exſuccum, ultra limbum coſtarum dextrarum multum prominens, ſcirrhoſis tuberculis aſperum; ſed nulla vomica in hepate inveniebatur, verum venæ portarum rami per hepar diſperſi admodum diſtenti erant; ſimiliter & venæ omenti, meſenterii, inteſtinorum varicoſæ inveniebantur, & ſanguine turgidæ, licet reliquum corpus in omnibus partibus appareret exſangue. Verum tumor ille in ilio dextro apparens erat fundus veſicæ felleæ, diſtentus contento liquido, ad os ilium dextrum usque pertingens. Continebat veſica fellea plus quam libram liquidi limpidi, inodori, ſaporis leviter ſubſalſi, parum ſubvirideſcentis; ſimulque calculos plurimos diverſæ magnitudinis, & figuræ, qui extrinſecus cruſtam duriorem albam habebant, diffra-

fracti vero in meditullio continebant materiam admodum flavam, sed molliorem.

Postea legit fidelibus observatis constitisse, sæpius vesicæ felleæ repletæ, & protuberantis tumorem pro abscessu hepatis habitum fuisse a); fateturque *Petitus*, consilio instituto inter plures medicos & chirurgos, tumorem similem omnium votis habitum fuisse pro abscessu hepatis, & ipsi traditam fuisse provinciam aperiendi hunc tumorem. Verum discissis jam integumentis subsidere incepit ille tumor, unde egregius ille chirurgus, similium casuum antea observatorum probe memor, ab ulteriori sectione abstinuit; prædixitque brevi per alvum prodituram bilem, quæ in cystide fellea hæserat accumulata. Vix applicatus fuerat apparatus chirurgicus vulneri integumentis abdominis inflicto, quin æger copiam bilis viridis alvo deponeret, & intra paucos dies convaluit.

a) Memoires de l'Academie royale de chirurgie, T. I, p. 155.

Exitus diversi abscessus hepatici.

Varios exitus abscessuum in hepate natorum *Boerhaavius* enumerat. *Duo* autem, aut

ex

ex aphorismo 275 patet, hepatis ſuppurati *ſtadia* ſunt, ſcilicet ante & poſt abſceſſus rupturam.

1. Pure intra hepar adhuc concluſo *phthyſis hepatica* oritur. Pus enim relictum in loco clauſo augetur continuo, vicina conſumit & erodit, quod longe magis adhuc obtinebit in hepate, cujus ſubſtantia adeo mollis & friabilis eſt. Imo & pus omni nota bonam hepatis ſubſtantiam conſummere poſſe, obſervavit *Diemerbroeckius*. a) In cadavere enim invenit hepar vaſtæ admodum molis, ex quo, licet boni coloris, & integræ ſubſtantiæ eſſe videretur, eduxit undecim libras civiles puris albi, bene cocti, & non fœtentis.

a) Diemerbroeck. Anat. L. I. cap. 14.

Illa mala, quæ fiunt, dum hepar a purulenta vomica conſummitur, partim pendent a reſorpto pure, cacochymiam purulentam ſanguini inducente; partim vero ab impeditis illis functionibus, quæ a viſceris hujus integritate pendent. Quotidie enim augetur puris collecti copia, unde immani quantitate quandoque in hepate collectum fuit inven-

tum,

tum, ſicque diſtrahendo & premendo partes hepati vicinas plurima mala producere poterit. Unde *Aretæus* a) inter ſymptomata ſuppuratum hepar comitantia, numerat dolorem acutum ad jugulum usque & ſummum humerum pertingentem, quia diaphragma, & ipſi nexa pleura diſtrahitur. Præterea pus illud in loco calido hærens, conquaſſatum reſpirationis motu, tenuis, acriusque redditur, & facilius adhuc venis reſorbetur. Febris hinc oritur hectica, partim ob lentam viſceris deſtructionem, partim ob continuam partium ſuppurato loco vicinarum inflammationem.

a) Aretæus de cauſis & ſignis morborum. L. I. Cap. 13.

Quo minor ciborum, eo major potulentorum, imprimis acidorum deſiderium in ulcere hepatico laborantibus obſervatur; id quod naturæ medicatricis molimen eſſe videtur; cum enim partim febrilibus horum ægrum commotionibus, hisque conjunctis ſudoribus profuſiſſimis humores corporis diſſipentur, exque illo magna copia eliminentur, partim vero putrida & alcalina in primis viis excrementa hæreant. Ecquid naturæ magis conſen-

ſentaneum, quid illi ſalutarius, quam ut deperditi humores multo potu reſtaurentur, & acrimonia alcalina acidis exſtinguatur. a)

a) Theodor. Gulielm. Schröder. Comment. medica de phthyſi hepatica. p. 28. Götting. 1783.

Verum icterus ſimul aderit, ſi abſceſſus mole ſua premendo impediverit bilis cyſticæ liberum exitum. Anxietas autem ſumma adeſt, quia a tumente abſceſſu, vicinis vaſis per hepar diſtributis, compreſſis, ſanguinis venoſi abdominalis per venam portarum tranſitus impeditur.

Urina autem ſaturiſſimi & obſcuri coloris, imo fere nigricantis fit in peſſimo ictero, vel etiam, dum putridum illud, & amurcoſum liquamen conſumpti hepatis ſanguini commiſtum per urinam exit.

Putredine autem nata extricatur ex humoribus aër, & elaſticus redditur, & flatulentam abdominis expanſionem facit, quæ tympanitis vocatur, quia percuſſum manu abdomen inſtar tympani reſonat. Sufficit hic notaſſe, putredine nata in viſceribus abdominalibus, talem expanſionem abdominis fieri paulo ante mortem, peſſimo ſemper omine; & quan-

quandoque cito poſt mortem ſic turget abdomen, ut fere crepet; uti ſæpius in cadaveribus hoc morbo defunctorum vidit *Swietenius.* Sic etiam videmus cadavera ſubmerſorum animalium, dum putreſcere incipiunt, tumidiſſimo abdomine emergere, quod paulo poſt crepat, & horrendam mephitim late diffundit

Ultimo tandem, conſumpto hepate, putrido, amurcoſa ſanies per inteſtina ruit, & per reſorptam hanc putrilaginem totus ſanguis diſſolutus, & putrefactus per vaſa meſeraica in inteſtina exit. Talis ſolet eſſe funeſtus exitus phthiſis omnis; & in hoc caſu tanto magis, quia major putredo adeſt. Unde & *Aretæus* a) in hoc caſu monet, quod, ſi male olentia putredinis inſtar per alvum expellantur, tunc & acris febris oriatur, omnia in deterius ruant, carnium fiat colliquatio, pulſus parvus, reſpiratio difficilis, & non multo poſt vitæ finis imponatur.

a) Aretæus l. c.

Quamdiu nondum magna puris copia in hepate collecta eſt, nec diu ibi hæſit, nec magna corruptio adeſt, aliquid ſperari poteſt: verum ubi a pure retento, & acriori reddito conſummitur totum hepar, facile patet, nul-

nullam ſpem ſupereſſe, nullam medelam haberi, ad ſuperandum tale malum.

In morbis autem incurabilibus medici adhuc illud officium ſupereſt, ut mitigando ſymptomata morbi tolerabilem magis vitam miſeris ægris reddat. Sed & hic parum præſtare poteſt ars. Anxietas enim moleſtiſſima leniri nequit, cum expediri via ſanguini venoſo abdominalium viſcerum per venam portarum non poſſit. Sitis inexplebilis nullo potu ſedatur, ob putridum fomitem, cujus malignitate quotidie augetur. In initio acida grata, multa aqua diluta juvant, ut ſuccus citri, aurantiorum, granatorum, acetum, ſpiritus nitri dulcis &c. Sed provecto magis morbo, nec ab his ullum amplius levamen, & a potu ingurgitato, dum diſtenditur ventriculus, augetur anxietas. Nulla autem cardiaca ſummam illam debilitatem a putredine natam levare poterunt. Unde ſola mors tot malorum finem facere valet.

2.) Alius exitus abſceſſus in hepate nati eſt, cum membrana pus coercens, puris copia, vel acrimonia rumpitur, & pus in abdominis cavitatem effunditur. Id autem contingit, ſi abſceſſus vel inferiori jecinoris parti inſidet, dum partes ſibi proximas illoque

inferiores corrodit sanies, atque perforat; vel si puris collectio in alio quopiam, praesertim superficiei hepatis gibbae loco praesto est, in quo autem casu ruptura raro fit ex sola ichoris corrosione, sed & plerumque ex simul praesente magna ejus quantitate, ex subitaneo validoque aegri motu atque nisu, aut vehemente in locum affectum pressione; vel tertio effundi in cavum abdominis potest sanies, si internam jecinoris substantiam corripuit suppuratio, eamque fere totam exesit eousque, ut materies sit externae hepar cingenti membranae proxima, quo fit, ut & hanc saepissime perforet, sicque tandem in illam cavitatem erumpat. a)

a) Schroeder *l. c.* p. 48.

Ante disruptionem abscessus aegrum plerumque vehementior febris exacerbatio corripit, dolores in loco affecto augentur, & subito postea strepitum in vomicae loco deprehendit aeger, tuncque multa nova incidunt symptomata. Non raro enim statim ex disruptione, si magna puris copia effusa est, animi deliquia observantur diuturna, adeo fortia & periculosa, ut syncopum nomine voca-

ri

ri mereantur. *Morgagni* a) iſtas leipothymias non raro mortem pediſſequam habuiſſe teſtatur. Vaſa enim hepatica antea a vomica compreſſa, nunc pure elapſo exonerantur, & ſanguis majori vi in illa irruit, nec raro enim ipſa disrumpuntur, quum plerumque a ſaniei contactu fere ſemiexeſa ſint, tuncque magna ſanguinis quantitas in ipſum abdominis cavum elabitur, quo fit, ut cerebri, & reliquarum partium ſuperiorum vaſa nimis ſubito evacuentur. Aſcites purulenta novo asſiduo pure effuſo, febris phthyſica, & corporis contabeſcentia ad ſummum usque gradum augentur. Facile patet tale malum pariter inſanabile eſſe, neque & hic curam palliativam multi boni facere poſſe.

a) Morgagni Epiſt. XXXVI. N. 6.

3. Non raro pus rupta vomica in inteſtina transgreditur. Solet autem hoc triplici modo fieri. 1) Si locus abſceſſus in parte hepatis concava potiſſimum, atque pus exeſis finibus meatuum bilioſorum per ductum hepaticum in inteſtina delabitur. 2) Abſceſſu ita ſito, ut ejus ſuperficies inteſtinum quoddam contrectet, huicque accreſcat, ſanies & abſces-

fcessus membranam, atque intestini etiam tunicas, arrodit atque perforat, & in tubum intestinalem effunditur. 3) Eadem possunt contingere, si abscessus superficies tunicam ventriculi externam attingit.

Varia autem sunt signa, ex quibus hunc exitum prognoscere & cognoscere valemus. Initio quandoque ægros sopor corripit, creberrimi horrores invadunt, tuncque vehementissima ventriculi & intestinorum symptomata urgent. Dolores colici, non raro nausea & conatus vomendi, posteaque ipsa materiæ saniosæ, amurcosæ, putridæ, subinde sanguine permixtæ per os ejectio. Una cum hoc vomitu, vel absque illo murmuratio in intestinis contingit, posteaque alvi excretiones saniosæ & fœtentes erumpunt, quibus non raro & sanguis, & frustula hepatis evacuantur. a) Cum quibus omnibus vehementiores febris phthysicæ exacerbationes, profusissimi sudores, debilitas summa, & omnium virium jactura, anxietates inexplicabiles, & in dies increscens emaciatio advertuntur.

a) Bianchi histor. hepat. T. I. p. 371.

Et

Et hunc exitum cum fummo periculo conjunctum esse, quicunque facile intelligit, & *Boerhaavius* hafce alvi excretiones brevi lethales esse professus est. Sed in prognosi formanda ad evacuatæ materiæ qualitatem, & reliquas ægrorum vires refpiciendum esse constat. Deinde etiam in eo multum consistit, an illis excretionibus omnis ab jecinore remota fit purulenta materies, utrum remanferit quædam; quo in cafu eadem, quæ in pulmonum vomica contingere folent: quæ enim restat materies, proximas partes arrodit, partimque hafce ita destruit, ut muneribus fuis imposterum non fungi queat hepar, partim vero fanguinis maffam corrumpit, corpus maxime debilitat, ficque mortem accelerat. Interdum autem contingit, ut fubito rumpatur abfceffus in intestina, & æger priftinam valetudinem recuperet. a)

a) Medical Effays by a Society of Edingburgh. T. IV. p. 425.

4. Puris in thoracis cavum transmigratio. Hic exitus in eo tantum cafu contingit, cum nempe abfceffus fupremæ hepatis parti infidet, ut fumma hujus fuperficies feptum

con-

contrectet transversum. Tum vero in vomicæ obtensa membrana, præsente calore & inflammatione eodem loco & diaphragmati quædam phlegmone communicatur, qua fit, ut ambo coalescant, posteaque & ambo a sanie perforentur, vel saltim semiexedantur, ita, ut dein minori etiam nisu, sternutatione, tussi &c. facile rumpatur abscessus, tuncque in thoracis cavum effundatur. a) Quandoque vero cum illo diaphragmatis hepati jam annexo loco pleura etiam & pulmonis pars vel jam coalitæ sunt, vel nunc coalescunt b), in quo casu, sicuti quidem testantur observatores c), in hepatis abscessu præsens ichor hujus ipsius membranam diaphragma & pleuram perforans, pulmones ipsos erodit, perque hos sibi viam parat.

a) Morgagni Epist. XXXVI. N. 4.
b) Diemerbroeck anat. p. 72.
c) Stalpart van der Wiel. Observat. p. 202.

Cujus exitus signa haud semper æque certa, ac præcedentium evadunt. Dolores in hepate perseverare consueverunt, dum omnis saniosa materies in thoracis cavitatem raro transferri queat, sed plerumque quidquam illius

illius in abſceſſus cavo remaneat, quod acrimonia ſua nervos irritat, & proximas partes corrodit, hincque dolores vehementiſſimos gignit. Perſæpe etiam in thoracis loco hepati proximo pungentem, & gravativum dolorem ſentit æger, quandoque etiam fluctuatio ibidem obſervari poteſt. Iſta vero materies in thoracis cavitate collecta, brevi utplurimum temporis intervallo pulmones quoque acredine ſua afficit, & eorum conſumptionem progignit, ſicque ſimul phthyſin pulmonalem procreare valet, tuncque ſputa purulenta tuſſi ex pulmonibus ejecta ſæpiſſime in hoc morbo ab obſervatoribus deprehenſa animadvertuntur.

Sed variis quoque aliis modis ſputa hæc purulenta in phthyſi hepatica poſſunt contingere: 1) Si ſanies in thoracis cavitatem effuſa, antequam pulmones ipſos erodat, a venis reſorbetur, & in bronchia deponitur. 2) Si abſceſſus membrana, diaphragma, pleura, & pulmo coaliti ſunt, ab ichore acri perforantur, ſicque immediato tramite in pulmonem, & bronchiorum ramos aſcendit purulenta materies. a) 3) Sputa ex pulmonibus in phthiſi hepatica purulenta, quin abſceſſus diaphragmati contiguus ſit, contin-

ge-

gere queunt, si nempe pus ex hepate in sanguinis massam resorbeatur, sicque communi humorum circuitu ad pulmones transferatur, sussique ejiciatur; quo in casu a deposita in pulmonibus materia hi ipsi facile arrodi possunt. b) Tandem ista sputa observandi occasio præbetur, si præexistentia pulmonum vitia, tubercula præprimis, ex mala humorum diathesi jam inflammantur, posteaque suppurantur, vomicasque clausas progignunt, quæ serius ocyus rumpuntur, nec raro phthisi hepatica ægri morte jamjam destinata, & pleuritidem inducunt, hæcque illius anxietates adaugent, ejusque instans lethum certo certius reddunt. Reperiendi autem, certissimisque viis demonstrandi, qua in pulmones pervenerit purulenta materies, quam difficile sit, docet inter multas alias historia, quam tradidit *Roncalli*. c)

a) Valcarenghi constit. Epidemic.
b) Schenk observ. med. L. III. obs. XXV.
c) Rancalli histor. morb. p. 244.

5. Puris in sanguinem transitus. Frequens est puris ex hepatis abscessu in sanguinea vasa transmigratio, ut hoc ipsum rarissime

me ulla via absque ejus simultanea in sanguinem resorptione evacuetur. Quem vero transitum duplici ratione fieri constat: 1) vel enim a venis bibulis, iisque adhuc integris resorbetur purulenta materies; 2) vel vasis perforatis atque exesis sanguini admiscetur, id quod non ita recente ulcere hepatico in hunc morbum cadere solet. Quantum corpori ex abscessu puris exitus detrimenti injungat, inferatque, intelligitur facile, si rarissima boni in hepate puris generatio perpendatur. Transponitur autem resorpta sanies vel per metastasin ad alium locum, vel cordi data secundum cognitam circuli humorum normam subigitur, & sanguini commiscetur.

Evidentissime in oculos incurrunt ex resorpti puris *acrimonia* pronascentes noxæ. Putrida receptæ saniei acredine universam quoque sanguinis massam dissolvi manifeste patet, quo facto omnes etiam ex illa secernendi humores, ut liquores gastrici, aliique putridam induunt indolem, ita, ut suis muneribus fungi porro haud queant; cuncta quoque excernenda dissoluta, & putrida evadunt, continentes partes acrimonia sua irritant, sicque varia symptomata maligna progignunt. Observantur nempe sudores colliquativi fœten-

ten-

tentes, ex quibus eruptiones cutaneæ fummæ dolorificæ nafcuntur; urina rubicunda omnino, & nigricans, fummæ putredinis fignum, ischuriæ & ftranguriæ fons evadit; alvi fluxus obfervatur colliquativus, copiofiffimus, putridiffima & amurcofa fanie refectus; ruit enim hæc ipfa, vel immediato tramite per inteftina, vel & per reforptam hanc putrilaginem totus fanguis diffolutus & putrefactus per vafa meferaica in inteftina exit. Nafcuntur inde tormina, non raro & enteritides, dolorum ardentiffimorum fontes. Si autem porro tam acris ichor in toto corpore cum fanguine per breve tantum temporis fpatium circumagitur, non raro omnes univerfim machinæ functiones turbantur femel & fimul, fubitaque mors oritur.

Sola indicatio medica tunc hæc eft, eluere de fanguine illud corruptum, magna copia liquidi diluentis & blande detergentis exhibita; putredinem hic maxime metuendam cavere, vel natam jam emendare, quantum per artem poffibile eft; fimulque blando, & a putredine alieno nutrimento, novos humores fuppeditare corpori in locum illorum, quæ jam corrupta eliminari debent de corpore. Serum lactis recentis cum acetofa co-

ctum,

ctum, juſcula carnium cum ſucco citri vel aurantiorum, vinum rhenanum, decocto panis, oryzæ, avenæ &c. dilutum, tunc præ reliquis proſunt. Spiritus acidi foſſilea, imprimis ex ſale marino, alcoholis vini tripla copia permiſti, & repetitis deſtillationibus bene uniti, putredinem emendant quam efficaciſſime. Laudantur tunc & aquæ minerales, quatenus per omnia fere vaſa mobiles, abſtergunt, abluunt, & per urinæ vias, quandoque & per alvum educunt. Verum magna plerumque debilitas comitatari ſolet hunc morbum, & obſervant omnes practici, aquas illas, ceteroquin adeo ſalubres, nihil prodeſſe, niſi tantum de viribus vitalibus adhuc ſuperſit in corpore ægro, ut moveri poſſint.

6. Ultimus tandem exitus hepatis ſuppurati is eſt, cum abſceſſus in anteriore & gibba hepatis parte ſedem figit, cum peritoneo ibi coaleſcit, atque tumorem verſus exteriora apparentem producit.

Is tumor vel ſponte integumenta perforat, perque hæc ſibi viam parat, vel chirurgo abſceſſum operatione aperiendi officium imponit. Res eſt medicis notiſſima, in iis corporis humani locis, quibus viſcera membranis circumdantur; in ſtatu ſano tenuiſſimum ha-

halitum ex minimis æque visceris ipsius, ac cingentis membranæ superficierum arteriolis exspirantem unius cum altera coalitum impedire; præsente contra alterius utrius partis inflammatione alteram hujus participem fieri, & partim ob earum calorem, partim ob humorum densitatem phlogisticum istum humorem neutiquam exhalare, tumque istas partes facillime coalescere. Cujusmodi rationem videmus pulmones inter & pleuram, cor & pericardium, & in nostro casu habemus hepar inter, & peritoneum. Quodsi igitur in hypochondrio dextro tumor nascatur mediocriter circumscriptus, in quo fluctuatio satis manifeste percipiatur, sciatque medicus, laborasse antea hepatitide ægrum, hic ipse, si febre remittente exacerbationibus vespertinis detineatur cætera hucusque fuse explicata symptomata appareant; medicus omni jure vomicam in hepate hærentem opinari, & huic malo accomodata remedia applicare, optima conscientia convictus potest. Quas conditiones proponere oportuit, cum duplex præter illum tumor eodem loco quandoque observetur, qui minus attento atque perito hepatis abscessus videri posset. *Primus* in vesicula fellis a bile inclusa oritur. *Altera* tumoris spe-

ſpecies naſcitur ex abſceſſu intra muſculos abdominis, vel in peritonæo præſente. Falſi ejusmodi judicii *Ioannes Schenckius* mentionem fecit. a) „Puero, ait, ea parte, qua muſculi recti ad ſternum pertinent, cum abſceſſu in ventre tumor manifeſtus, digito cedens obtigit. Vocati fere judicarunt abſceſſum in rectis muſculis; alii in ventre, quia attenuato fere puero, & conſumptis muſculis, facile emineret tumor. Pauciſſimi in hepate (quod quibusdam hepar totum ventrem ad partes ſiniſtras pertendat); aperto loco, exiit pus viroſum, & graviter fœtens, corrupto peritonæo. Abſceſſus ſedes in parte hepatis, quæ illic proveniebat. Quod magis apparuit, mortuo, & diſſecto puero.„

a) Schenk. obſerv. med. L. III. N. 24.

Confundi quoque ſubinde ex hepate tumorem cum peritonæi intumeſcentia quadam circumſcripta, hic loci quandoque obveniente, teſtatur *Aretæus* a): „Tumor ſub mammis, coſtisve aſſurgit, quem in peritonæo eſſe, multi falſo opinantur. Verum ſi ſuper coſtas nothas tumor exſtet, jecur, dolore preſſum, intumeſcit, quia humore plenum eſt.„

a)

a) Aretæus de fignis & caufis morb. Lib. I. cap. XIII.

Quicunque vero abfceffus, quum non potuerit, quin phlegmone prægreffa oriatur, obtenfa quoque præfenti abfceffui membrana, æque ac ejus margines durante morbo continuo fere inflammatione laborent: in hocce cafu falutaris ille halitus ex utriusque fuperficiei innatis arteriolis quod jam ceffet, peritonæum quoque inflammationis particeps fiat, hocque ipfum hepati adnafcatur, non fane mirum. Poft factum coalitum præfens in vomica pus quandoque intenfam fibi membranam, peritonæum, mufculos tuncque integumenta communia corrodit, ficque fibi ipfi viam e corpore aperire confuevit. Rarius vero huc pervenire folet abfceffus; æger enim ejusmodi quid fentiens, medicum, vel chirurgum confulet plerumque, qui, ut naturæ præveniatur, fuadebunt. Quandoque vero accidit, ut famæ fuæ confulens abfceffui, fui ipfius poteftatem cedat chirurgus, vomicam nimis magnam, & a puris evacuatione fubitam mortem metuendam effe intelligens. Ejusmodi casus *Fabricio Hildano* a) obtigit, qui ad ægrum vocabatur, in quo cutis totius ferme lateris ab ilei offe ad coftas veras, lineamque,

al-

albam & ſpinam dorſi puris plena elevata & extenſa erat. Dolor continuus, & magnus, leipothymiæ, item nauſea, appetitus viriumque proſtratio aderant. Efflagitabant adſtantes, ut abſceſſum aperiret; propter maximum vero, & inſtans morbi periculum, a) ne imperiti chirurgi nomen ſibi compararet, manum adhibere recuſavit. Poſt ejus abitum barbitonſor in conſilium vocatus vomicam aperuit, & maxima puris copia impetuoſe effluxit, & intra biduum æger animam Deo reddidit. Facto enim abſceſſum peritonæo acreviſſe, omnino & hoc ipſum perforaſſe pus, nonne tum telæ celluloſæ ſeſe inſinuabat purulenta materies, & potius hydropem quaſi anaſarcam producet? Notandum etiam, non ſemper accreſcere peritonæo vomicam. Videmus igitur in quocunque caſu chirurgi manus ad aperiendum abſceſſum invitari, quæ ubicunque, abſceſſu vero non adnato, præ reliquis caute atque provide inſtituenda.

a) Fabricius Hildanus. Obſervat. chirurg. Cent. II. N. XXXIX.

Quem exitum in genere, non æque ac ullum ex præcedentibus periculoſum evade-

re, quicunque facile intelliget; non enim paucæ ab obſervatoribus traditæ ſunt hiſtoriæ, quæ talem phthiſin hepaticam ſanatam eſſe teſtantur, ubi abſceſſus adhuc ſatis novus, maſſa ſanguinis non inquinata erat, & cum ſelecta diæta methodus ratione & experientia conveniens adhibebatur. a)

a) Cl. Theodor Schroeder de phthyſi hepatica, pag. 64 — 69.

In hoc caſu quandocyus via puri in hepate collecto paranda eſt: optime enim *Aretæus* a) monuit: *Si extra feratur abſceſſus, non ſecare utique malum eſt, ſi enim ita ſinatur, a pure jecur eroditur, nullaque mortis dilatatio eſt.* Interim tamen, cum adeo ſanguinolentum viſcus hepar ſit; & omnium venarum originem, & ipſius ſanguinis fontem, in hepate ſtatuerint veteres Medici, hinc ſummum periculum metuebant a ſectione; unde *Aretæus* b) mox ſubjungit: *ſi ſecare autem malis, profluvii ſanguinis periculum inſtat, ſtatimque hominem perdi contingit, nam ſanguinis e jecore profuſio nulla modo coerceri poteſt.* Ideo veluti ſectionem inſtituendam eſſe ferro candenti, ut ſimul & ſecaret & combureret,

at-

atque ita metuendam hæmorrhagiam cauterio actuali compefceret eodem momento, quo vulnus infligeretur. Et *Hippocrates* c) in eodem cafu, quum hepar maximum fuerit, & extrorfum prominuerit, inuri juffit. Interim tamen videtur a fectione prudenter inftituta non tantum periculum effe lethalis hæmorrhagiæ: dum enim pertunditur talis abfceffus, cultelli vel lanceolæ apex hæret in facco pleno pure, quod removet ad magnam fatis diftantiam membranam pus coercentem a vafis fuppofitis. Præterea obfervata docent, vifcerum totam fubftantiam per abfceffus purulentos quandoque confumi, absque ulla hæmorrhagia, licet maxima etiam vafa fanguinea adfint. Docet hoc phthifis, in qua fæpe totus pulmo confumitur, antequam moriantur, nec tamen hæmorrhagia pereunt: & in hepatis abfceffu, quo pertufo libra una & media puris effluxerat, & in cujus cavo poft mortem pugnus cirtumrotari poterat absque ulla refiftentia, mirabatur *La Motte* d) nihil fanguinis exiviffe. Præterea *Aretæus* e) voluit, ferrum candens tantum introdi debere usque ad puris locum: verum hæmorrhagiæ metus tantum effet a vafis exefis, vel cultello ledentis,

 quæ

quæ in profundo hærerent vomicæ; adeoque patet cauterium ne tunc quidem pervenire ad locum, a quo hæmorrhagia metuenda foret. Porro si eschera inuratur, aliquot sæpe dies requiruntur, antequam illa, optimis etiam remediis emollita, a vivis partibus separata cadat, quod non est, dum nondum saccus ille purulentus apertus est: qualis casus habetur apud *Bianchi* f), ubi caustico potentiali quamvis profunda eschera inusta fuisset, tamen adhuc scalpello pertundi debebat. Cum autem hoc in casu periculum in mora sit, patet sectionem ustioni præferendam esse. Præstat autem prius scalpello dividere integumenta abdominis, ut abscessus pars prominens in conspectum veniat, & tuto dein absque ulla læsione partium vicinarum pertundi possit.

Cum autem eventus periculosi hujus mali incertus sit, & qualitas puris emissi fere tantum docere possit, an æger superstes esse possit, vel non; monendum prius est, certam instare perniciem, nisi cito paretur puri in hepate collecto exitus, neque tamen, aperto abscessu, certam salutem promitti posse. Sic medicus prudenter famæ suæ consulet.

a) De caufis & cum fignis morb. Lib. I. Cap. XIII.
b) Ibidem.
c) De affect. cap. XXX. Chart. T. VII. p. 66.
d) Traité complet de chirurg. Tom. I. p. 327.
e) De caufis & fign. l. c.
f) Hiftoria hepat. parte tertia T. I. p. 368.

Quænam notæ boni malive puris fint, Aph. 283 & 284. enumerantur. Omnes enim dotes puris educti Aph. 824. enumeratæ defignant illud degenerare a conditionibus boni puris enumeratis; & quidem illo ordine, quo recenfentur in textu has diverfitates puris emiffi, periculum infaufti exitus crefcit, & major corruptelæ gradus indicatur. Simul etiam tunc novimus, peffimam debere effe conditionem loci, in quo corrupta talis materia hæfit, & fæpe fatis diu.

Interim tamen & obfervata medica docuerunt, quandoque evafiffe ægros, licet aperto abfceffu præter pus bonum & alia exirent. Juveni enim quatuordecim annorum, poftquam calefacto admodum corpore pedes aquæ frigidæ immerfiffet, orta fuit febris, quæ tantum abfceffum magnum in hepate fecerat, unde totus corporis habitus marcefcebat. Aperto dein abfceffu & educto pure, dum reno-

va-

vabatur apparatus chirurgicus, exibat materies ſanguinolenta, ſpiſſa admodum, quandoque flava, amara, omni dote bilioſa, & ſemper aderant flocculi, qui ipſam hepatis vaſculoſam ſubſtantiam manifeſte referebant. Ne autem ſtagnans in hoc ulcere materia reſorberetur & ſanguini denuo admiſceretur, cannulam argenteam, pluribus foraminulis a latere pertuſam, & obtuſo apice inſtructam, immiſit aperturæ ulceris peritiſſimus chirurgus, ut ſic liberrime ſemper exire poſſet collecta materiæ: ne autem excoriaretur a depluente liquido acriori vicina cutis, lamina plumbea illam tegebat. Febricula lenta, quæ hactenus adfuerat, minuebatur quotidie, redibat ſolita toroſitas corpori ſenſim, & brevi conſolidabatur ulcus a). Verum notatur in miro hoc caſu, vomicam hæſiſſe in anteriori & convexa hepatis regione, nec recenſentur talia ſigna, quæ magnam putredinem ſimul adfuiſſe docerent.

a) Acadcm. des ſciences l'année 1730. Hiſt. p. 53.

Quandoque & alius liquor præter pus exivit, ſuperſtite ægro. Ita *Liſerus* in Epiſtola ad *Cel. Bartholinum* a) notat, quod, he-

hepate suppurato, per candens ferramentum via facta fuerit puri, copiose erumpenti, quod per plures dies confertim effluxit. Dum autem chyrurgus stilum profunde in ulceris cavum demitteret, aquæ citrinæ copia ad três libras & ultra profluxit; quo fluxu cessante, pus iterum prodiit, & perrexit ultra annum exire, sed mediocri quantitate, & relicta fuit in dextro hypochondrio fistula. a)

a) Epist. Thom. Bartholom. T. II. p. 639.

Unde apparet, semper quidem magnum discrimen adesse, ubi a bono pure degenerans materia exit; certum tamen interitum tunc tamen præsagiri, ubi putrida exit sanies. Unde *Hippocrates* in *Coacis* a) statuit: *Quibus hepate inusto velut amurca exit, lethale.* Fæx autem illa nigricans & subpinguis, quæ in oleo olivarum expresso subsidet amurca dicitur, uti patet ex Dictionario *Erotiani* b), qui plures dictiones *Hippocratis* collegit & explicuit. Designat autem talis amurcosa materia, aperto abscessu profluens, ipsam hepatis substantiam in putrilaginem diffluere.

a) Nro. 451. Chart. Tom. VIII. p. 878.
b) Charter. Tom. II. p. 110.

Scirr-

Scirrhus hepatis.

Bilis, atque atrabilaria ſanguinis materia hepatitidi producendæ, uti in prioribus dictum eſt, maxime idoneæ ſunt. Accedit præterea, quod leniori impetu ſanguis venæ portarum moveatur per hepar; unde ubi febrilis motus, vel ſponte ſua, vel per venæ ſectiones, aliqua velocitatem circulationis minuentia remedia, nimis cito ſopitur, antequam ſolutum fuerit illud inflammatorium concretum, vel benigna ſuppuratione ſeparatum, tunc talis ſcirrhoſa durities in hepate manet, & poſtea chronicis morbis difficillimis dat originem. Hunc hepatitidis exitum notavit *Aretæus* a) dicens: *verum ſi a phlegmone hepar non ſuppuratur, nemini dubium fuerit, tumorem durum ſubſidentem in ſcirrhum mutari, ac ſtabiliri; quando continuus dolor non infeſtat, cumque adeſt, obſcurus ſentitur.* Et poſtquam varia mala, quæ ſcirrhum hepatis comitari, vel ſequi ſolent enumeravit, dicit: *malorum autem colophon hydrops.* In dydropicis autem cadaveribus frequenter inventum fuit hepar ſcirrhoſum. Quandoque hepar ſcirrhoſum redditum immaniter mole augetur ſimul, qualem cauſam habet *Bonetus* b) mulieris, cui poſt ulcus ſub dex-

tra

tra axilla diu apertum, dein imprudenter consolidatum, dolor circa hepar obortus eſt, & tumor, qui ſenſim auctus icterum producebat, fruſtra tentatis pluribus remediis, in tantam molem excrevit, ut die noctuque in ſella, dextro latere verſus terram reclinato, ſedere cogeretur. In cadavere totum hepar ſcirrhoſum repertum fuit, & quatuordecim libras civiles in lance pendens. Aliquoties invenit *Swietenius* in cadaveribus totum hepar exſiccum, inſtar corii rigidi, ſed contractum, & mole inſigniter minutum. Mira hepatis facies deprehenſa fuit a *Cornelio Velſe* c) in cadavere hydropicæ mulieris; totum enim hepar erat mole parvum, durum, ac rigidum, & in omni ſuperficie tam gibba, quam concava aſperum tuberibus ſolidis, & ſibi mutuo fere contiguis, quæ ex baſi latiori, ipſi hepatis ſubſtantiæ inſidente, in apices obtuſos, & rotundos deſinebant. In hepatis diſceſſi interioribus nulli ſcirrhi, nec vomicæ repertæ fuerunt. Nec tamen miſera hæc mulier de moleſtiis in hypochondrio dextro conqueſta fuerat, ſed quidem circa cardiam, & fatetur egregius vir, quod in vivente nullum tumorem, aut peculiarem duritiem hypochondrii dextri percipere potuerit.

a) Aretaeus de caufis & fignis morborum. Lib. I. C. XIII.

b) Bonet. Anat. pract. L. III. Sect. XVI. obf. 3

c) Velfe Diff. de mutuo ingreffu inteftin. p. 43.

Facile autem patet, tales tumores fcirrhofos premendo vafa vicina producere omnia fere eadem mala, ac recenfita fuerunt, nifi quod omnia lentiori gradu procedant, quia tumor inflammatorius augetur velociter, fcirrhosus autem lentiffime folet increfcere. Frequentius autem fcirrhofæ tales indurationes in hepate nafcuntur, quam forte creditur, imprimis fi febres autumnales, poft fervidiffimam æftatem epidemice graffantes, nimis cito corticis peruviani ufu fupprimantur: folet tunc fupereffe color ictericus in oculis, ponderis prementis fenfus circa praecordia, auctus repleto poft paftum ventriculo. Nifi tunc fubito folventiffimis remediis, magna copia & diu fumptis, fuccuratur, indomabilis poftea fcirrhus manet; languent tales ægri diu, pallidi, fubicterici, & fæpe in hydropem tandem incidentes pereunt. Ubi autem confirmatus jam fcirrhus diu hic hæfit, & vel per febrim natam, aut acria remedia, agitetur, vel vomitoria v. g. purgantia vali-

lida & ſimilia in cancrum degeneretur, uti ex doctrina de ſcirrho patet. Quandoque obſervatum fuit, poſt icterum diuturnum horrendes naſci in abdomine dolores, ſanguinem magna copia ſurſum & deorſum exire, unde animi deliquium & mors: tunc veroſimile videtur, cancroſum acrem ichorem eroſiſſe vaſa. *Bonetus* a) ex *Ballonio* talem caſum recenſet, ubi hepar poſt mortem, cancri modo affectum, reperiebatur.

a) Anatom. Pract. Libr. III. Sect. 18. Obſerv. V. Tom. II. p. 299.

Evidens eſt, ſumma prudentia opus eſſe, ut talis morbus tractetur, & ſola illa tuta eſſe, quæ abſque acrimonia, abſque augmento velocitatis humorum, ſolvendi vim exſerunt, de quibus antea jam dictum fuit. Sed & ſimul patet, talibus remediis incipientem in viſceribus ſcirrhum ſuperari poſſe, non vero ſufficere, ut duriſſima & lapidea fere moles ſcirrhoſa in hepate tollatur. Unde & *Galenus* a) dicit: *Hepatis autem ſcirrhum, incipientem quidem, ſæpe curavimus, inveteratum vero neque ſanare potui, neque alium novi, qui poſſet. Omnes enim ita affectos omnino*

no sequitur hydrops. Plurimi autem longiori temporis spatio intereunt, nonnullos vero brevi perire vidi, quibus alvus multa dejiciebat. a)

a) Lib. II. method. med. ad Glaucon. cap. VII. Chart. Tom. X, p. 380.

Si autem in hepatis exigua parte inflammatiuncula hæserit, non producet magna mala, & ideo vix cognita negligitur; dum tamen in loco affecto similes effectus producit, licet minores, ac valida inflammatio, in toto hepate nata. Poterit ergo & inde manere parvus scirrhus, quandoque & minimus calculus, dum humores in hepate secreti, imo & sanguis venæ portarum humorem secernendum continens, adeo in concretionem pronus est. Dum evolvimus scripta eorum, qui in cadaveribus demortuorum caussas morborum scrutati sunt, invenimus satis frequenter repertas fuisse, & in hepate, & in aliis visceribus, leves tales vix animadversorum morborum reliquias, quæ nullis indiciis in viventibus se manifestaverunt. Idem toties observaverunt anatomici, qui violenta morte peremptorum hominum cadavera in usus Academicos quotannis dissecant. Interim tamen

&

& hoc verum eſt, durum talem tumorem, licet exiguum, premere tamen & utcumque impedire ipſi adjacentia vaſa, effectu quidem non adeo ſenſibili, tum pacato motu per vaſa moventur humores; verum ubi per febrem velocius moti humores vaſa ſimul plus diſtendunt, tunc in omni ambitu duri talis tuberculi facile inflammatio naſcitur, & per vicinam propagatur, unde plurima mala fiunt. Sic obſervamus ſcirrhum in mammis in corporibus euchymis ſæpe per plures annos manere innoxium, nec mole augeri: ubi vero ab alia cauſa febris excitata movet celerius ſanguinem, augetur ſubito, & brevi in cancrum degenerat. Patet ergo facile, ob eandem rationem & in hepate a ſimilibus cauſis, licet in initio levibus, multa mala produci poſſe.

Exitus hepatitidis in mortem.

Hucusque conſiderati fuerunt diverſi hepatitidis exitus, dum vel in ſanitatem benigna reſolutione, vel coctione & excretione materiæ morboſæ terminabatur, vel in alios morbos abibat, facta ſuppuratione vel relicto ſcirrho. Supereſt jam, ut conſideremus, quomodo peſſima hepatitis quandoque mortem,

tem, & ſubito quidem producat, ut medela efficaci illico adhibita ſuccuratur, vel ſaltem ſi arte omni major morbus fuerit, ex ſignis obſervatis mortem brevi ſecuturam prævideat medicus, & prædicat, ſicque omni culpa vacet. Ideo *Hippocrates* a) monet medicos, ut prognoſi formandæ in morbis incumbant ſeduli, cum ſanos omnes ægrotos facere nemo poſſit: *Sic enim omnes eum merito admirabuntur, & medicus optimus cenſebitur. Namque & eos, qui ſervari poſſunt, multo etiam melius ſervare poterit, ex longo tempore ſingula præmedidatus; & eos, qui tum obituri mortem, tum evaſuri ſint, ſi præviderit, prædixeritque, omni prorſus culpa vacabit.*

a) In prognoſt. initio Chart. T. VIII. p. 583. &c.

Ubi ergo materiæ inflammatoriæ, anguſtiis vaſorum impactæ, tenacitas maxima eſt, & copia tanta, ut obſtruendis omnibus vaſis ſufficiat, ſimulque febris valida urgeat ſanguinem in loca obſtructa, totum hepar tumet, omnia vicina comprimit; adeoque & bilis exitum in inteſtina impedit, unde ſubito icteri- cus color per totum corpus diffunditur. Verum cum adeo friabile hepar ſit, & mollia

om-

omnino ac pulposa vasa habeat, illa, jam distenta ultra modum, tantam vim sustinere diu non poterunt absque ruptura; hinc effundentur humores in cavum abdominis, & cita mors sequitur. Praeterea in tali casu aboletur influxus vitalis humoris in arterias, effluxus per venas, tuncque gangraena adest brevi omnia hic putrefaciens. Validissima autem talis & subito perimens hepatitis, raro fit, nisi ubi subito tenax materies fusa & mobilis reddita, in hepar irruit, & simul ac semel omnia ejus vasa opplet. Ita *Hippocrates* a) monet, quandoque ab atra bile, in hepar irruente, acutam adeo nasci hepatitidem, ut aeger animam subito efflet. Subitam talem vasorum rupturam & enormem hinc haemorrhagiam pariter in hepatitide metuisse videtur *Aretaeus*. b) Sic enim habet: *Sanguinis utique profluvia ex hepate omnium maxima fiunt: venarum enim radicatio (est): neque in ipso valida phlegmone haud ita frequenter, neque in partibus magis praecipuis oritur, homo enim vita excedens praevenit.* Et paulo post subjungit sequentia: *Si vero a majori causa plaga vel continuis corruptionibus multorum vitiosorumque ciborum, ebrietate, vehementi refrigeratione, phlegmone in portis jecoris fiat,*

ce-

celerrima pernicies. Ita etiam si caloribus æstivis, vel validissimo corporis motu, pinguedo omenti fusa magna copia & impetu in hepar ruat, & difficilius transire patens per vasa minima, obstruat ultimos venæ portarum fines, ruptis vasis, subito mors fit. Calido æstivo tempore hoc quandoque observatur in armentis, quæ lætis in pascuis pinguescunt: incipiunt languere, angi subito, vertiginosa fieri, oculi flavescunt, paulo post concidunt mortua, & totum abdomen plenum sanguine inveniuntur. In equis, imprimis obesioribus, post quietem subito validissimo cursu exercitatis, idem quoque contingit satis frequenter, & pariter sanguis extraversatus, quandoque & fusæ pinguedinis aliquot libræ inventæ fuerunt in abdominis cavo.

a) De intern. affect. Cap. XXIX. Chart. Tom. VII. p. 659.

b) De caus. & sign. morb. acut. Lib. II. Cap. VII. p. 19.

Signa autem funesti talis in hepatitide eventus sunt:

1. Si v. g. in atrabilario corpore vel in homine valde obeso calidissima tempestate,

&

& exercitio corporis, ſtagnantia dudum in motum deducta fuerint, vel ſi quis ſudante poſt validum motum corpore frigidiſſimæ aquæ ſe immerſerit ſubito, tunc novimus tales cauſas prægreſſas fuiſſe, unde jure tale malum metuitur. Si tunc ſubito ingens anxietas, ob denegatum ſanguini venæ portarum per hepar tranſitum ſequatur, in tumorem elevetur hypochondrium dextrum, oculi flaveſcere incipiant, febris valida inſurgat, novimus jam adeſſe illum morbum, & quidem periculoſiſſimum.

2. Alia, neque infrequens lethalis mox in principio hepatitidis cauſa eryſipelatoſæ, ſepticoque inflammationi adſcribenda eſt, quæ tam cito ægros interrimit, ut ex veneno mortem illatam fuiſſe, ſuſpicio nonnunquam oriatur.

3. Signa hic recenſita docent, vel vaſa rupta ſanguinem larga copia fundere, tuncque ſumma illa & ſubita virium reſolutio obſervatur, & ſubitus pallor oritur in vultu; vel gangræna nata, omnia jam putreſcere. Quandoque ruptis vaſis hepatis, ſanguis in cavum abdominis delabitur; aliquando & in inteſtina vel ventriculum venit, tuncque ſurſum vel deorſum expellitur. Memorabi-

 lis

lis talis casus habetur apud *Vesalium* a) de celebri juris consulto, qui languida valetudine dudum vixerat; cumque nonnulla per transsennam percunctatus fuerat de morbo suo *Vesalium*, qui circa hepar hærere obstructionem dixit, promisit se sequenti die futurum anatomicæ demonstrationi, circa viscera abdominalia instituendæ, ut nempe morbi sui sedem attente consideraret. Verum eodem die, paucis postea horis inter cœnam de mira corporis imbecillitate conquestus fuit, ac impedita respiratione, & paulo post exspiravit. *Vesalius* sequenti die tam subitæ mortis causam in cadavere inquirens invenit, universum corporis sanguinem adhuc calentem in peritonæi cavum confluxisse rupto venæ portarum trunco. Hepar totum candidum erat, & multis tuberculis asperum, & tota anterior jecoris pars, & universa sinistra sedes, instar lapidis indurata erat; posterior vero pars, ubi vena cava hæret, putredine vitiata & mollis apparebat. Si autem in chronicis & lentis talibus hepatis morbis tandem rumpantur vasa, an non idem metuendum erit, dum subito infarcto toto hepate febris acuta urget sanguinem valido impetu in loca obstructa. In epidemicis *Hippocratis* b) talis casus habetur,

qu

qui hoc docet. *Chartadi* enim febris ardens oborta erat, cum bilis copiosa sursum & deorsum evacuatione, & circa lienem tumor rotundus observabatur, signum dans, sanguinis transitum ex liene per hepar impediri: eadem die sanguinis ad congii mensuram per alvum exivit, repetita etiam vice; tertia vice grumos concreti sanguinis excrevit: aderat autem anxietas circa cardiam, quæ postea augebatur; accedebant animi deliquia, & delirium; sub vesperam magna jactitatio corporis præ anxietate: pedes frigescebant, pectore & capite incalescentibus, & instante jam morte pravis sudoribus diffluebat: ubi vero aliquid per alvum dimitti velle sibi dixisset, oculis defixis, paulo post exspiravit: Qui omnia hujus morbi phœnomena considerat, non dubitabit, ægrum hunc acutissima hepatitide laborantem, ruptis vasis sanguine per alvum effusum, subito periisse. Unde & in *Coacis* c) dixit: *Sanguinem splendidum dejicere, malum est, dum alias, tum si quis dolor adfuerit.* Et alibi d): *lethalis autem & alvum sanguinem dejicere, multa grumosa dejectione: item album & liquidum cum ventris tumore.* Ubi notandum, quod alba illa & liquida dejectio cum ventris tumore satis indicant bilem non ve-

 ni-

nire in inteſtina, adeoque circa hepar malum latere.

a) In Epiſtola de rad. Chinae Tom. II. op. p. 674.
b) Lib. VII. Aegrot. XIV. Chart. T. IX. p. 558. 559.
c) Nro. 605. Chart. Tom. VIII. p. 888.
d) Ibid. Nro. 611.

Inde etiam apparet; quare *Hippocrates* a) ſanguinis vomitum cum febre damnaverit.

a) Aphor. 37. Sect. 7. Chart. IX. p. 311.

Ubi autem una cum febre intenſiſſima, & ſiti inexplebili, per alvum olidiſſima & cadaveroſum fœtorem ſpirans amurca exit, certo novimus hepatis inflammationem in gangrænam abiiſſe, totumque hoc viſcus peſſima putrilagine corrumpi, adeoque certam mortem inſtare. Singultum autem in hoc morbo pro peſſimo ſigno haberi, jam antea ex *Hippocratis* locis conſtitit. Verum & ſingultus oriri poteſt ab effuſo copioſo ſanguine, uti alia occaſione monitum fuit. Pleraque ex peſſimis illis ſymptomatibus, dum hepatis in ſubitam mortem tendit, habet *Aretæus* a), dicens:

cens: *Ignis enim profundus, obſcurus, acer, pulſus torpidi, doloris ſpecies varia omnis generis: nonnunquam enim dextra in parte defigitur, adeo ut acutum telum adactum eſſe videatur; interdum torminibus ſimilis eſt: rurſum vero interdum dolor aurum ſumma gravitate conjungitur, atque inter dolendum proſtratio virium & vocis privatio &c. colore ex atro viridi infecti ſunt, plumbeo quaſi &c. magna eſt in corpore ſegnities, extrema frigent, tremor adeſt, horrores, ſingultus inanis convulſivus, icterus, mera bilis, totum corpus bilioſo corpore perfunditur.*

a) De cauſis & ſignis morb. acut. Lib. II. Cap. VII. p. 19.

Corollaria practica.

Sequuntur jam corollaria quædam practica, quæ ex illis, quæ hactenus de hepatitide dicta ſunt, ſequuntur, & multis lucis tam cognitioni, quam curationi morborum affundunt.

1. In febribus acutis duplex imprimis diſcrimen obſervaverunt medici: vel enim aderat validior ſanguinis circumductio, calore mag-

magno totius corporis, refpiratione cita, anhelofa; pulfu celeri, forti, magno: videbant tunc omnia, quæ humorum copiam & motus celeritatem minuunt, infigniter prodeffe, ut venæ fectionem, diluentia, nitrofa &c., & fæpe feliciter per artem fanari hos morbos, licet in initio invaderent fummo cum impetu. Verum & aliud febrium acutarum genus obfervatur pejus longe & periculofius, ubi illico vires profternuntur; calor longe minor adeft, fæpe & frigus extremorum, anxietas magna, pulfus celerrimus, debilis, maxime inæqualis, fæpe quafi evanefcens fub digiti tangentis medici, fitis fæpe vix ulla. Has febres ob fubitam illam, etiam in robuftis virium proftrationem, absque ullis evacuationibus factis malignas vocaverunt medici, & non fine ratione. Docuit jam obfervatio, in talibus febribus profuiffe illa remedia, quæ vires oppreffas erigerent, & aromatico ftimulo incitarent utcunque: fcordium, ruta, angelica & fimilia, alexipharmaca dicta, dabantur in his febribus optato cum fucceffu, dum larga copia aquæ infufa, addito pauco vino, vel aceto, calida potabantur. Dum enim his impletum foret corpus, blandus fudor folebat fequi, per quem furgebant

bant vires vitales, & expellebatur ſæpe de corpore epidemicum illud miasma, quod omnia hæc mala fecerat. Ubi autem prioribus febribus, in quibus magnus calor & inflammatoria ſanguinis ſpiſſitudo aderant, talis medela fiebat, omnia ruebant in pejus, & ſummo periculo exponebantur ægri. Unde *Sydenhamus* adeo inſurgebat in illud malignitatis vocabulum, quod medici omnibus morbis gravioribus applicabant, etiam inflammatoriis; & calido regimine ac ſudoribus vi expreſſis perdebant plures ægros, qui bona medendi methodo ſervari potuiſſent.

Cum autem in hepatitide magna ſæpe adſit anxietas, & ab impedito libero tranſitu per venam portarum impediri, vel turbari ſaltem, debeant omnium viſcerum abdominalium functiones, magna quandoque debilitas ſimul adſit ob corruptum ſæpe in hoc morbo bilem, circa præcordia hærentem, minusque periti quandoque tractaverunt hepatitidem inflammatoriam pro febre tali maligna, magno certe ægrorum damno. Sedula obſervatio cauſarum hepatitidis, & effectuum, qui ſimul ſigna morbi præſentis ſunt, non patietur attentum medicum hic falli.

2. Bilis inter humores inquilinos corporis acerrima eſt, & cito putreſcens ſanguis ipſe venæ portarum proximam bilis materiam contine : verum bilis efficacia talis eſt, ut ſanguinem ſolvat; unde poſt diuturnum icterum, ſoluto nimis ſanguine a bile admiſta, ſolet immedicabilis hydrops ſequi. Præterra ſanguis venoſus, ab inteſtinis & ventriculo redux, continet fluidiſſimam partem, quam venæ meſentericæ reſorpſerant; ex liene per venam ſplenicam veniens ſanguis dilutus eſt attenuatus; omenti ſanguis venoſus habet in ſe reſorptum tenuiſſimum rorem, qui in cavum abdominis ex arteriis exhalaverat: unde patet ratio, quare ſanguis venæ portarum dilutus ſit & ſolutus, quamvis venoſus jam redditus perdiderit multa, per arterioſas ſecretiones inde ablata: omnibus enim bene conſideratis, videntur plura reddi huic ſanguini, quam inde ſeceſſerant. Verum talis ſanguis, in maximo trunco portarum venæ & majoribus ejus ramis, obſtructo hepate, ſtagnans, in loco adeo calido, reſpirationis perpetua actione conquaſſatus, proximam bilis, facile putreſcentis, materiam continens, cito corrumpitur; & ideo, ſuppuratione in hepate nata, raro bonum

pus fit, ſed potius metuenda eſt funeſta putredo.

Hepatis cum diaphragmate & corde magna vicinitas. Quam larga ſuperficie hepar diaphragma tangat, ex anatomicis notum eſt: quin imo & contiguo hepate diaphragmatis dextra pars magis ſurſum premitur in thoracem quam ſiniſtra. a) Præterea diaphragmatis ſuperficies abdomen ſpectans undique tegitur peritonæ, præterquam circa cavam venam, ubi hepar nudum contingit. b) Non mirum ergo hepatis morbos diaphragma ſæpe etiam afficere.

a) Albin. hiſtor. muſcul. *Lib.* III. *Cap.* LXXXI. p. 300.
b) Ibidem p. 308.

Verum & magnam viciniam corde habet: nam inter hepar & pericardium, cor continens, tenuis tendinea diaphragmatis pars interjacet. Prtæerea vena cava inferior hepati innaſcitur, & ubi ex hepate emergit, mox diaphragma penetrat, & facit ſinum venoſum dextrum. Ex quibus patet hepatis morbos inſignes & vicino cordi nocere poſſe.

3.

3. Quidquid enim per venam portarum fluit, duplici via inde exit: vel enim per canales secretorios venit in portam hepaticam, vel per fines ultimos venæ portarum in ramos venæ, per hepatis totam substantiam distributos, pergit, sicque in cavam, sinum venosum & cor dextram. Cum autem bilis hepatica, a sanguine venæ portarum secreta, ipso sanguine sit tenuior, si obstaculum hæreat circa fines biliosos, patet satis, quod facile materia hæc biliosa una cum sanguine dilabatur in venam cavam, totamque sanguinis massam cachexia biliosa inficiat. Verum quidem est, canales bilem a sanguine venæ portarum secretum ferentes difficilius obstrui, cum ex angustiis in latiorem canalis partem fit hujus liquidi motus; sed circa ingressum ductus communis in intestinum duodenum major angustia est, & ibi sæpe nascuntur obstacula. Præterea, uti jam antea notatum fuit, imo & ipse sanguis venæ portarum bili proximam materiam continens, admodum inclinat in calculosas concretiones, quæ semel natæ & auctæ quotidie, has vias obstruere possunt. Deinde omnes tumores in hepate nati, inflammatorii, supporatorii, scirrhosi, steatomatosi &c. premendo vicinas partes,

tes, quibus adjacent, tale impedimentum producere poterunt.

Verum uti obſtructis canalibus biliofis, tranſitus fit materiæ biliofæ in cavam venam, ſic & obſtaculo nato circa ultimos fines venæ portarum, ita ut ſanguis in venam difficulter tranſire poſſit, quandoque videntur ſic dilatari rami ſecretorii bilem vehentes, ut & ſanguinem transmittant; qui tunc in duodenum exit ſæpe larga copia, & ſurſum vel deorſum expellitur de corpore. Ab atrabilaria tenacitate imprimis difficilis talis tranſitus ſanguinis ex ultimis finibus venæ portarum in cavam naſci ſolet, & putat ſe in praxi tales caſus ſæpius obſervaſſe, & fere ſemper in macilentis hominibus, atrabilariæ temperiei; imprimis in illis, qui tabaci fumo abutentes quotidie ingentem copiam ſalivæ exſpuendo perdunt, quæ cæterum deglutita ſanguini redditur, unde ſeceſſerat. Vidit *Swietenius* hominem, cui poſt anxietatem circa præcordia, & cardialgiam moleſtam, oriebatur ſanguinis vomitus, & paulo poſt per alvum magna copia etiam exibat, unde intra paucas horas defecit. In cadavere, cum quibusdam amicis, in anatome ſatis verſatis, luſtravit magna cum cura omnia viſcera abdominalia, nec ullum

vas

vas ruptum invenire potuit; nullam insignem labem in ullo viscere observavit. Plures postea tales casus vidit, sed non semper funestos; imo plurimos vidit evasisse, & postea satis sanos vixisse, licet tam valida sanguinis evacuatio contigisset, ut convellerentur præ inanitione subita vasorum. Facile tamen patet, semper magnum discrimen adesse, licet & multi evadant post talem sanguinis vomitum vel secessum. In omnibus illis vomitum cruentum præcesserat tensio abdominis molesta, & diu affixerat cardialgia, imprimis repleto ab assumptis cibis ventriculo. Verum postea, ubi de *anxietate febrili* agetur, notabitur, licet in hepate hæreret obstaculum, præcipuum tamen ægritudinis sensum circa cardiam percipi ab ægris, unde & illud symptoma hanc opinionem confirmat. Videntur autem illi evadere, quibus non ruptis vel erosis vasis, sanguis effunditur, sed dilatatis vasis biliosis exit in duodenum; unde & illa, quæ in angustis finibus venæ portarum hæserant infarcta, omni pressione sanguinis a tergo urgentis liberata, retropelluntur in vasa majora, solvitur feliciter hepatis obstructio.

Si-

Similia in praxi videns incœpit intelligere, quare *Hippocrates* dixerit: *Quicunque sanguinem vomunt, si quidem sine febre, salutare: si cum febre, malum. Curare refrigerantibus & adstringentibus.* Talia adhibuit *Swietenius* certe cum optimo successu, ut dilatatis & distractis vasis rediret debita firmitas; juvat etiam, quod multò sanguine evacuato, ægrisque talibus multum debilitatis, vasa minori copia liquidi, & lentius moti, repleta, sponte sua contrahantur. Alius adhuc apud *Hippocratem* memorabilis locus habetur, qui huc spectare videtur: *Quibus dolores hypochondriorum, cardiæ, hepatis, partium circa umbilicum, excreto sanguine (per alvum dejecto forte) servantur, non autem excreto moriuntur.*

Semper icterus supponit vel impeditam secretionem bilis a sanguine venæ portarum, vel impedimentum tollens liberum exitum bilis secretæ in intestinum duodenum. Primum ergo differt icterus, prout bilis hepatica vel cystica, vel utraque, in sanguinem regurgitat: deinde & differt pro varia indole ipsius bilis, cum & illa colore, & aliis suis attributis, admodum diversa esse possit.

Verum ingens varietas icteri est ratione causæ, quæ secretionem bilis, vel ejus liberum

rum exitum in duodenum impedit. Vidimus enim in præcedentibus, talem casum quandoque esse inflammationem, & quidem iterum vario intensitatis gradu diversam: deinde & suppuratio inflammationem sequens, icterum producere poterit, vel jam natum una cum inflammatione valida incipiente perennare faciet. Sed & pro diversis viis, quibus pus in hepate collectum, sibi parat exitum, recensitæ fuerunt icteri species variæ. Ultimo & scirrhus, vel benignus, vel jam in cancrum degenerans, ictero originem frequenter dedit. Si jam simul consideretur, partes hepati vicinas, & imprimis circa cavam hepatis regionem locatas, a similibus causis tumentes, bilis exitum impedire posse, patebit satis, quam multiplex icteri idea sit, & quod idem nomine morbus a diversissimis producatur causis; quarum tamen cognitio accurata tantum lucem adfert curationi instituendæ, uti & ad formandam prognosin circa facilem vel difficilem, possibilem, vel impossibilem icteri sanationem.

4. Cur aliquando facile sanetur, & quando? Occurrunt tales icteri quandoque, qui satis cito sanantur, quando nempe causa illos producens levior est, vel obstaculum, impediens

diens liberum bilis exitum, ſponte ſua removetur, vel ſaltem levi negotio tolli poteſt. Sic e. g. a leviori hepatitide, quæ per benignam reſolutionem, vel coctionem & excretionem cauſæ morboſæ curari poteſt, natus icterus facile cedit. Ita ubi in gravidis vel ab utero tumente, vel a fœcibus duris in colo inteſtino collectis, compreſſo ductu cyſtico vel communi fit icterus, excuſſo fœtu & expulſis fœcibus, ſponte ſua cedit hoc malum. In recens natis infantibus frequenter talis icterus facile curabilis obſervatur: illo enim tempore, quo in utero materno latuit infans, reſpirationis motus non egit in contenta abdominis, unde accumulatur in cyſtide fellea bilis; mucoſa viſcida oblinuit totam inteſtinorum ſeriem, tenax meconium magna ſolet copia adeſſe; hinc ſæpe impeditur exitus bilis in duodenum, & dilatandis facile in hepate vaſis retrogreditur in ſanguinem, & ſic icterum producit. Quandoque & infantibus ubera ducentibus coloſtrum caſeoſum in duodeno hærens ſimile impedimentum præbet. Saponis veneti ſcrupulus in aquæ unciis tribus dilutus, addendo unciam ſyrupi cichorei cum rheo, ſi cochleatim detur ſæpius de die, ſolvit hæc concreta,

ab-

abſtergit blande inteſtini latera, & ſimul hanc ſaburram per alvum expellit; ſicque cita ſequitur ſanatio. Imo & in adultis pituitoſa colluvies in primis viis hærens, icteri cauſa fuit: per attenuantia mobilis ubi reddita fuit talis materies, dein per vomitoria aut purgantia facile excutiatur. Talis icteri, a pituita nati, meminit etiam *Hippocrates* a) illumque minime lethalem & facile ſanabilem pronunciavit. Quandoque & contingit, bilem in cyſtide fellea diu hærentem (ut in literatis ſedentariam vitam degentibus frequenter fit) inſpiſſatam & viſcidiorem redditam difficilius exire poſſe; tuncque *Galenus* b) notavit, idem contingere veſicæ felleæ, quod in veſica urinaria a retenta nimis diu urina obſervatur, nempe illam quaſi paralyticam fieri, nec commode poſſe ſuarum fibrarum ope bilem jam ſpiſſiorem exprimere. Illis ſine febre icterus naſcebatur, urgente in dexto hypochondrio gravitatis cujusdam ſenſu; affirmatque *Galenus*, ſe tales, præmiſſis aperientibus remediis, dato purgante cholagogo, ſæpe uno die ſanaſſe. Si nondum cederet parum pertinacius malum, dabat potentiora aperientia, & dein vehementius purgans, quo cœrula potius, quam flava bilis expelle-

lebatur, ſequente pariter ſanatione felici & ſubita.

a) De internis affect. cap. XL. Charter. Tom. VII. p. 666.

b) Lib. V. de locis affect. cap. ultim. Charter. ibid. p. 504.

5. Cur ſæpe ſit pertinaciſſimus. Si nempe cauſa icteri talis fuerit, ut vel omnino non, vel difficillime tolli poſſit, vel per morbum deſtructa fuerit aut adeo mutata hepatis fabrica, ut poſtea bilis ſecretio & excretio nunquam rite perfici poſſit. In cadavere diſſecto cervicem veſicæ felleæ tophis obturatam vidit *Benedictus* a): ſed noverunt chirurgi, quam difficile ſit tumores in tophum induratos reſolvere, etiam in locis, ad quæ manubus acceſſus datur: turgebat autem hæc veſicula fellis ſero pellucido inſipido, quod ad ignem coagulabatur inſtar albuminis ovi; unde patet bilis bonæ ſecretionem in hoc ægro jam abolitam fuiſſe. Inventus fuit & ductus cyſticus omnino concreviſſe, ita ut ſtylus immiſſus per aperturam ductus communis, nullo modo potuerit penetrare in ductum cyſticum, nec veſica fellea, quæ bile plena duo-

rum pugnorum magnitudinem habebat, compressa, vel guttula contentæ bilis exiverit: imo discissa vesica fellea non poterat distingui ullo modo apertura dictus cystici ex vesica fellea exeuntis b). Quandoque etiam, licet via ex cystide fellea in duodenum aperta sit, jam adeo degeneravit hepatis fabrica, ut morbus æque incurabilis maneat, uti docet cel. Viri *Du Verney* jam sequens observatio c). In cadavere virginis triginta circiter annorum, post icterum nato hydrope ascite mortuæ inventum fuit hepar obscure flavescentis coloris, pro magna sui parte exsiccatum, vesicula fellis in saccum ingentem dilata, & qui levi vi dilacerabatur, continebat hydatides copiosas, & materiam quandam partim glutinosam, partim lymphaticam & biliosam, una cum grumis nigris, qui intra digitos contriti colore flavo illo inficiebant; apertura autem ductus biliferi ad duodenum usque adeo patula erat, ut digitum minimum facile admitteret, unde facilis via erat contentis in vesica fellea ad intestinum duodenum, & fœmina, quæ ægræ adfuerat morbi, tempore, testabatur, per alvum exivisse, dum viveret, omnia similia his, quæ in cadaveris vesica fellea deprehendebantur.

Un-

Unde patet nova ratio pertinaciæ icteri, licet viæ apertæ sint, ob insignem morbosam hepatis degenerationem. Ex ante dictis patet etiam a scirrho hepatis natum icterum debere esse pertinacissimum.

a) Tabldor. theat. p. 58.
b) Medical Essays T. II. Nro. XXI. p. 310.
c) Academie des sciences l'année 1701. memoir. p. 193.

6. Cur sæpe cito, sæpe tarde admodum occidat. Ubi atrabilaria materies, in aliis visceribus collecta, soluta, & acris facta, impetu subito in hepar ruit, cita mors sequitur; uti etiam ubi adeo valida inflammatio hepatis est, ut vel rumpantur vasa, vel fiat gangræna brevi totam visceris substantiam in putridam tabem resolvens. Quando autem ulcus in hepate natum est, tunc nisi ad exteriora tumeat, & pertundi possit, lenior mors, quamvis certa, sequitur. Longe autem diuturnior icterus est, ubi a scirrho, calculosis concretionibus, atrabilario sanguine tenacissimo sensim in hepar aggesto, perducitur. Curavit *Ill. van Swieten* sexagenariam mulierem, quæ per duodecim annos laboraverat ictero,

in initio per periodos redeunte, ſed ultimo anno manebat continuus, & nigro ferme colore totum corpus tingebat, ſolis oculis profundiſſima flavedine perfuſis, ita ut horrorem omnibus illam videntibus incuteret miſera ægra. Rertinaci uſu ſucci graminis, ſeri lactis & ſimilium, verno tempore, æſtivis menſibus aquis ſpadanis, hyeme magna copia ſaponis veneti cum melle, tandem incœpit ſolvi impacta hepati materies, & ſecutus fuit alvi fluxus per integros ſex menſes durans, & cum levamine omnium ſymptomatum: evacuabatur autem materia argillacea, olidiſſima, granulis aſperis parvis, calculoſis, undique reſperſa. Dum autem vires bono victu ſuſtinebantur, & in lauta re conſtitutæ nihil deeſſet, a tam pertinaci morbo evaſit, & ſupervixit ſana ſatis per plures adhuc annos. Integro biennio hanc medelam adhibuit conſtantiſſime, quod raro in difficillimis chronicis morbis impetrare ab ægris poſſunt medici: tanto autem magis mirabatur ægrotæ longanimitatem, quod primis octodecim menſibus vix quid proficerent omnia hæc artis molimina, omneſque ejus conſanguinei & amici ſuaderent, ut miſſis omnibus remediis pacata

men-

mente exſpectaret mortem, quam certam & unicam malorum medelam prævidebat.

7. Tales icteri in praxi ſæpius occurrunt, primo ſatis leves, & longis intervallis redeuntes; dein ingraveſcente malo redeunt citius, & affligunt vehementius. In initio ſæpe non detegitur a medicis, vel minus peritis, vel non ſatis attentis, morbus hic, dum poſt levem cardialgiam, & anxietatem aliqua circa præcordia, ſequenti die levis flavedo in adnata oculi apparet, & urina parum coloratior mingitur; tales ægri optime poſtea ſe habere videntur, donec poſt aliquot menſes, in quibusdam citius, in aliis ſerius, redeant improviſo eadem ſymptomata. Cum autem flavo illo colore apparente in oculis omnes moleſtiæ, quæ paulo ante adfuerant, ceſſant; hinc multi medici hunc icterum criticum crediderunt, & ſalutarem. Imo & *Sydenhamus* a) minus recte hujus morbi cauſam intellexiſſe videtur: ſub nomine enim colicæ hypochondriacæ, aut hyſtericæ, illum morbum deſcripſit ſequentibus: *Regionem ventriculi, nonnunquam & paulo inferiorem, dolor haud mitior, quam in paſſione colica iliacave primum obſidet, quem vomitiones ſequuntur enormes, nunc vero flavæ. His accidit (quod*

ſæ-

sæpe observavit Swietenius) *major animi dejectio desperatioque, quam in morbo alio quocunque; post diem unum alterumve facessit dolor, qui post paucas septimanas revertitur, nihilo lenius sæviens quam antequam solveretur paroxysmus. Icterum quandoque satis spectabilem comitem sibi adciscit intra dies pauculos sponte evanescentem.* Hæc autem descriptio exactissime quadrat morbo jam adultiori, primi enim insultus leniores fere semper esse solent, & levem tantum flavedinem in oculorum albo faciunt, de die tantum observabilem, nam ad lumen candelæ omnia leviter flavescentia apparent alba, verum in urina semper adest flavedo satis conspicua, etiam in primis hujus morbis insultibus. Cum autem frequentes habuerit occasiones hunc morbum videndi, non inutile duxit illum hic paulo accuratius describere.

8. In juniore ætate rarius occurrit, sed adultos, & in senium jam vergentes frequentius corripit; & præcipue quidem illos, qui diuturno mœrore afflicti, vel & memores iras diu noctuque sub pectore versant: omnium maxime sedentariam vitam agentes (hinc literatis viris frequens morbus), uti & lautius viventes, dum post pastum, plene admodum

ven-

ventriculo, menfis affident prono corpore ficque omnia abdominalia vifcera comprimunt. Incipiunt conqueri de quadam tenfione molestia circa præcordia, & ponderis quafi gravantis fenfu, quibusdam aliquot a paftu horis acris fatis cardiæ dolor fit, quem vidit *Swietenius* quandoque per plures menfes præceffiffe icterum talem periodicum. Obfervatur tunc levis quandoque flavedo in cantho oculorum majori, urinæ parum plus colloratæ funt, & per alvum biliofa excrementa deponuntur. Poftea fubito, nulla fæpe caufa procatarctica accedente, oritur inexplicabilis anxietas, dolor intolerabilis circa cardiam, imo etiam per totum abdomen, quem tunc colicum vel iliacum dolorem credunt; accedit febris, vomitus enormis, & dum per aliquot horas hæc fymptomata duraverunt, remittunt, fed totum corpus icterico colore perfunditur. In quibusdam vidit *Ill. Swietenius* primo tali infultu totam faciem & pectus flavefcere, non vero reliquas partes corporis; urina tingitur faturiffimo colore flavo, & fatis commode fe habent: quosdam & moleftus dolor lumbos & latera obfidet, antequam icterici fiant, quod & videtur obfervaffe *Hippocrates*, dicens: *quibus lumbo-*

rum ac lateris dolor ſine manifeſta cauſa, icteri fiunt. Poſt viginti quatuor horas, quandoque citius, quandoque ſerius, tales ægri commode ſe habent, & cum pondus illud gravans præcordia non amplius ſentiant, integram ſanitatem brevi futuram confidunt. Urinæ ſenſim fiunt minus coloratæ, flavus cutis color evaneſcit ſucceſſive, & poſt paucos dies nihil omnino de morbo ſupereſſe videtur. In quibusdam etiam vidit intolerabilem pruritum adfuiſſe toto tempore, dum corporis cutis bile perfuſa flaveſcebat. Verum poſt aliquot ſeptimanas, quandoque etiam aliquot menſes, tota hæc malorum ſeries eodem ordine redit; & ubi plures tales inſultus paſſi ſunt ægri, manet perpetuus icterus, ſubinde quidem ingraveſcens; ſed non tam validis ſymtomatibus inſultus ſtipatur: calor ictericius tunc ſaturatiſſimus per univerſum corpus diffunditur, ipſa ſaliva amareſcit (quod rarius tamen obſervatur), tandem procedente tempore nigreſcunt fere toto corpore, pedes incipiunt tumere ſenſim magisque, & abdomen, & hydropici pereunt.

a) Coac. Praenot. Nro. 325. Charter. Tom. VIII. p. 870.

Quan-

9. Quandoque & contingit insultum hujus morbi adeo validum esse, & febrim comitem adeo intensam, ut vera hepatis inflammatio sequatur cum subita quandoque morte, aliquando & hepatis suppuratio adeo periculosa, qualis casus in actis Edinburgensibus a) habetur. Frequentius autem prior morbi decursus obtinet, tandem nisi curentur, lenta morte finiendus. Fœces alvinæ quandoque aliquot diebus ante hunc paroxymum incipiunt esse albæ, griseæ, argillaceæ; quandoque in primis morbi insultibus incipiunt flava per alvum prodire, dum simul ictericus color in cute & urina apparet.

a) Tom. II. Nro. XXIX. p. 345.

Omnia hæc symptomata manifeste docent, morbi hujus causam esse impedimentum, quod bilis cysticæ exitum in intestinum duodenum prohibet; unde bilis retenta, copia aucta quotidie, vesicam felleam distendit magis magisque, donec vel mole collectæ bilis, vel majori acrimonia stagnando nata, aut obstaculi impedientis, in cervicem angustiorem vesiculæ felleæ pulsi, irritatione, oriantur dolores, spasmi abdominales, vomitus enormes, re-

corporis inquietissimæ jactationes ob anxietatem vix tolerandam. Omnibus autem his, adeo validis concussionibus, & imprimis validissima pressione diaphragmatis & musculorum abdominalium simul agentium expeditur illud obstaculum bilis egressum impediens, vel bilis in cystide contenta retroprimitur in sanguinem; sic causa nimis distendens vesicam felleam tollitur, vel saltem insigniter minuitur; sed icterus fit, etsi causa, exitum bilis impediens, non fuerit simul remota, sensim iterum accumulata bile eadem redit tragœdia. Verum ubi sæpius in sanguinem retropressa bilis fuit, sic dilantatur hæc vasa, ut hoc fieri possit longe minori vi; & tandem videtur fieri facillime, tuncque manet icterus perpetuus, subinde quidem saturati magis coloris, post levem anxietatem perceptam vel lenem vomitum, sed nunquam tunc tanta cum vehementia redeunt hæc symptomata, cum levior vis sufficiat ad retro urgendam bilem per hepar in venam cavam.

Sæpe miratus fuit *Swietenius*, tales ægros, licet continuo ictero laborarent, tamen & appetitum satis integrum habuisse, digestionem ciborum utcunque successisse, alvi evacuationem pariter. Forte hepatica bilis tunc copio-

piosior & acrior pro tempore supplet cysticæ bilis hepaticæ actionem augere. Vias enim adesse ex poro hepatico in cystidem felleam docuit anatome. Omnes tamen tales ægri emaciantur plus minusve, & tandem diuturnitate morbi, nimis dissoluto a bile admista sanguine, hydrops nascitur.

Patet ex omnibus his, quodvis obstaculum, bilis exitum ex vesica fellea, impediens, posse hujus morbi causam esse, & variam esse difficultatem curæ, prout hæc causa facilius vel difficilius tolli potest. Quandoque vidit *Swietenius*, bilem, instar tenacis glutinis cohœrentèm vomitu redditam fuisse, nunquam postea redeunte ictero. Verum observationes numerosissimæ docuerunt, frequentissimam periodici icteri causam esse calculosas concretiones in vesica fellea natas, & ubique apud auctores tales casus inveniuntur: bilis enim retenta satis cito calculos producit: quod & observavit in bile, quam sponte in vase vitreo puro reliquerat, ut putresceret; in fundo enim vasis grumos calculosas invenit. Inter plurimos, quibus hoc morbo laborantibus medicinam fecit, nullum vidit fere curatum fuisse, quin in fœcibus alvinis calculi majores minoresve reperti fuerint

(quas ideo ſemper ſollicite inſpiciendas curavit.) Plura cadavera hunc morbum paſſorum diſſecuit, & ſemper invenit tales calculos. Magnitudo autem & figura horum variant admodum, uti & durities & color. Omnium frequentiſſimi *Swietenio* occurrerunt tales, qui externe colorem & unctuoſitatem fere ſaponis veneti habebant, diffracti vero nucleum oſtendebant flavum. Septuaginta tales calculos ſervabat diverſæ magnitudinis, pyramidalis fere figuræ omnes, quos per alvum excrevit vetula, quæ poſtea ab hoc morbo per plures annos immunis vixit. Centum & ultra tales calculos ex veſica fellea eduxit alterius vetulæ, quæ poſt diuturnum icterum hydropica perierat. Curam habuit Ill. *Matronæ*, quæ per biennium jam ictero laborabat, & quotidie fere calculos per alvum excernebat; nigros quandoque & duriſſimos, ſubinde albos nigris punctis variegatos, rarius flaveſcentes, qui molliores erant; ſimul & magna ſatis copia ſabuli quaſi craſſioris in fœcibus inventa. Plus quam ducenti jam calculi prodierunt, quorum maximi tamen piſum mole non ſuperant; unde adhuc majores latere ſuſpicabatur, licet icterus jam minui inciperet. Ante paucos menſes in

ca-

cadavere nobilissimi viri, post icterum periodicum aliquoties perpessum hepatitide mortui, invenit in intestinis tenuibus calculum, colore hystericis americani adeo famosum lapidem referentem, in exteriori superficie satis mollem, sed nucleum longe duriorem & magis fusci coloris habentem.

Patet jam facile, tales calculos icterum non producere, nisi exitum bilis ex vesica fellea impediverint, adeoque potuerunt inveniri in cadaveribus, licet icterum non animadverterint medici, neque inde concludi potest, quod causæ icterum producentis vice fungi non possint tales concretiones calculosæ. Simul & intelligitur, calculis his situm mutationibus, liberam viam denuo fieri posse bili in intestina, imo & quandoque una cum ictero fœces alvinas flavescere; dum nempe validis illis inter vomendum conatibus, qui icteros hos comitari solent, aliquid bilis in duodenum exprimitur; calculis quidem impedientibus liberum exitum non tamen adeo exacte obturantibus, quin magna tali vi adhibita aliquid adhuc exprimi possit. Certe omnia symptomata similia observamus, ubi calculus vesicæ liberam urinæ emissionem impedit. Sic apparet, male *Helmontium* a) in me-

medicos insurgere, quod icteri causam ponerent in obturatione ductus cystici; ut nempe suum fermentum stercoreum, de quo tam multa somniaverat, stabiliret.

a) In tract. Scholarum humoristarum passiva decoptis &c. Cap. IV. p. 820. &c.

Quandoque & contigit, quamvis rarius, bilis cysticæ exitum impediri, & fœces albescere, absque ullo colore icterico in cute observato; verum tunc bilis retinetur quidem in cystide fellea, sed nimis tenax & viscida in hepatis vasa regurgitare nequit, sed sensim aucta copia immaniter distendit cystidem felleam: qualis casus satis mirus habetur a) puero duodecim annorum, qui delapsus ex alto dextrum hypochondrium valde contuderat, & deinde post varia mala perpessa hydropicus factus perierat. In cadavere inventa fuit cystis fellea prodigiosæ molis, continens octo libras bilis spissioris, ex qua jam varii sacci concentrici formati fuerant, tanto firmioris consistentiæ, quanto magis propingui erant cystidis lateribus; illi vero qui versus centrum cystidis hærebant, teneriores erant & minus opaci, ductus communis cho-

cholidochus ſolito amplior erat, plenus multis lapillis ſpongioſis, & parvis, flaveſcentis coloris, qui aquæ immiſſi innatabant: interim tamen notatur, præter colorem album fœcum alvinarum nulla adfuiſſe icterici ſymptomata in hoc puero.

a) Medical Eſſays. Tom. II. Nro. XXX. p. 352.

Ubi ergo tales icteri periodici *Swietenio* occurrebant in praxi, a *Boerhaavio* monitus primo, & dein in hac ſententia medicarum obſervationum lectione confirmatus, ſemper cogitavit de calculis in cyſtide fellea hærentibus, atque ad hunc ſcopum totam indicationem curatoriam direxit, ſatis felici ſæpe ſucceſſu.

Sponte patet, duo tantum hic prodeſſe poſſe, vel ut ſolvantur calculi concreti, vel ut expediantur viæ, per quas tranſire poſſint in duodenum: tunc enim ſpes eſt, per alvum cum reliquis contentis inteſtinorum exire poſſe.

Multa tentavit *Swietenius*, ut inveniret menſtruum, quod ſolveret hæc concreta calculoſa, & ſimul tuto & integris viribus pervenire poſſet ad illa loca; ſed non

fuit

fuit tam felix, ut tale quid detegere potuerit. Verum quidem eſt, quod largo & continuo uſu ſucci graminis, taraxaci, cichorei, fumariæ & ſimilium obſervaverit, minuta quaſi fragmenta calculorum cum fœcibus alvinis exiviſſe, imo quandoque excrementa alvina dura extrinſecus his granis quaſi aſpera fuisſe, & in tranſito per anum excoriaſſe finem inteſtini recti; verum non certus ideo erat, quod forent calculorum comminutorum partes, cum in cadaveribus tales minores aſperi calculi, imo & ſabulum in veſica fellea, ductu hepatico, & ipſa hepatis ſubſtantia, quandoque inventa fuerint. Memorabilem talem caſum vidit *Veſalius* a) in cadavere *Proſperi Martelli*, Patricii Florentini, qui multis annis morbo regio laboraverat, ac dein ſubita morte perierat. Invenit enim *bilis veſiculam duorum pugnorum magnitudinem facile adæquantem: & exiguis lapillis quodammodo plenam, qui invicem connexis granis ſeminibusve milii, aut potius aſperæ ſuperficiei vulgaris officinarum sutiæ, erant ſimillimi.* Videtur ergo quandoque contingere, bilem retentam in grumos minores tantum concreſcere, neque etiam longo temporis ſpatio in majores calculos formari, & falſo quis crederet, dum

hæc

hæc quandoque alvo exeunt, quod vi remediorum in partes minores comminuti fuissent majores calculi.

a) In epist. de rad. chinæ Tom. II. p. 674.

Præcipua ergo curationis spes est, ut calculi hic hærentes, sensim dilatatis viis, exeant per angustum satis collum cystidis felleæ, & inde per ductum cysticum & communem in intestinum duodenum. Anatome quidem docet, arctam hanc viam esse, verum observationes certissimæ & satis numerosæ docuerunt, miro modo illam dilatari posse, ut magni etiam satis calculi exitum inveniant. Idem etiam contingere videmus in ureteribus, qui miro modo dilatantur in illis, qui sæpius calculos renales excreverunt; & vidit *Swietenius* illos in cadavere hominis calculosi, adeo amplos, ut digitum indicem facile intromittere potuerit. Sed & videmus automatico motu in his morbis moliri naturam horum calculorum expulsionem: enormis enim vomitus solet comitari colicas illas, ictericas dictas, ut violentis illis concussibus abdominis propellatur calculus. Verum & similis vomitus excitatur, dum calculus a rene per ure-

teres in veficam depellitur, uti noverunt omnes medici. Ubi autem femel dilatatæ hæ viæ calculum majoris utcumque molis transmiferunt, tunc poftea minori cum moleftia & plures expelluntur, uti ex obfervationibus jam memoratis conftat. Imo non facile defperandum effe de expulfione magnorum calculorum experimenta practica perfuadent. Vidit in propriæ uxoris matre, poft plures periodicos tales icteri paroxysmos, fubito ortum fuiffe dolorem fatis intenfum, cum animi ferè deliquio, & quidem in illo loco (quem digito monftrabat) ubi duodenum locatur: poft quadrantem horæ ceffabat dolor, cumque follicite luftrabantur fæces alvinæ, poft biduum in illis fuit inventus calculus pollicis articulum æquans, albicans exterius & durior, unctuofus tamen, in meditullio habebat nucleum flavum & molliorem. Cum autem in illo calculo binas quafi foveas ejus fuperficiei impreffas obfervaret, fufpicabatur & alios adfuiffe ipfi adjacentes; & poftea adhuc bini alii, magnitudine non multum cedentes priori, prodierunt. Deinde autem fatis bene fe habuit, ab ictero illo libera. Plures fimiles cafus in praxi vidit, & in hiftoria medica adhuc longe majorum calculorum per anum excre-

cretorum exempla habentur, ubi omnia symptomata docuerant, illos non fuisse genitos in intestinis, vel diuturna in illis mora insigniter mole auctos, sed ex vesica fellea expulsos, intra paucorum dierum spatium exivisse per anum, & manifesta sedis dolentis mutatione transitum suum per intestinalem fistulam indicasse, dum vel asperitate, vel majori mole, non nisi cum quadam difficultate propelli poterant. Talis autem recensendis immorari inutile esset, cum hactenus dicta sufficiant ad demonstrandum, quod in icteris periodicis de calculo, ut causa, semper cogitandum sit, nec facile desperandum de possibili horum calculorum egressu ex cystide fellea in duodenum, licet etiam satis magnæ molis fuerint, cum miris modis arctæ hæ adeo viæ dilatari possunt; uti docuerunt ægri, sanati a pertinaci ictero post talium calculorum expulsionem, & observata anatomica in cadaveribus evicerunt pariter. *Cel. L. Hesterus* a) in vesica fellea cadaveris fœminini publice dissecti invenit calculum nucis juglandis magnitudine, intense flavum sed satis fragilem. Verum ductus communis in duodenum hiantis orificium, quod ceteroquin nonnisi accurata inspectione detegi potest

 adeo

adeo amplum erat, ut digitus minimus facillime immitti potuerit; procul dubio a calculis talibus majoribus, qui antea exiverant, eo usque dilatatum.

a) Acta physico-medico natur. curiof. Volum. I. p. 404.

Cura autem talibus ægris adhibenda est, vel illo tempore, dum magna illa anxietas, vomitus, dolor adſunt; vel dum hæc jam ceſſarunt, & icterus ſucceſſit. Illo tempore, dum moleſtiſſima illa ſymptomata urgent, nihil melius eſt, quam dare magnam copiam decocti hordei cum melle; ſic facilius vomunt repleto parum ventriculo: & præterea vomitus ille diutius ſuſtinetur, dum nauſeanti adhuc ſtomacho poſt ſingulos vomitus molle tale remedium ingeritur. Salubre enim hoc naturæ molimen conducit quam optime, ut loco ſuo moveantur calculi, & bilis accumulata exprimatur, ſi nondum penitus impeditus ſit exitus; vel ſaltem reprimatur in hepar cum levamine omnium malorum. Prodeſt & idem remedium forma clysmatis injectum, ut eluantur craſſæ fœces in colo hærentes, quæ, uti ante monitum jam fuit, vias has impedire poſſunt. Ubi

Ubi vero intolerabilis anxietas, & nimis violentus vomitus; aut dolor acerrimus, urgent, opiata dantur cum ſucceſſu optimo, ut compeſcantur illæ turbæ. Nec nocebit hoc calculorum expulſioni, imo obſervatum fuit, potius prodeſſe: ſummæ enim fiunt tunc imprimis moleſtiæ, quando calculus in anguſtiis ductus cyſtici, vel & in ductu communi prope duodenum hæret, conſtrictis ſæpe ab irritatione aſperioris, vel mole majoris calculi, his partibus adeo, ut nullo modo tranſire poſſit. Optima autem, uti omnibus medicis notum eſt, dolorem ſopiendo, ſimul ſpasmo contractas partes reſolvunt, ſicque faciliorem exitum parant, unde etiam ob eandem rationem, ubi calculus a renibus delapſus in ureterum anguſtiis hæret, tam felici cum ſucceſſu opiatis utuntur medici, cum ſimul decoctis emollientiſſimis, oleo amygdalarum copioſo, balneo &c. lubricant vias. Ubi autem ſigna docent, inflammationem metuendam eſſe, vel plena ſatis ſanguine vaſa a validis illis vomendi conatibus nimis diſtendi vel & rumpi poſſe, tunc ſanguinis miſſio conducit; quæ cæteroquin, ut facile patet, ad tollendam morbi cauſam nihil efficere valet.

Poſt-

Poſtquam illa ſymptomata ſedata ſunt, ſæpe intra paucos dies tales ægri ſe integre ſanatos credunt, & omnem ulteriorem curationem reſpuunt. Sed ſerio monendi ſunt, latere adhuc mali radicem, unde poſtea repullulabunt denuo dira hæc ſymptomata, niſi tollatur. Indicatio tunc eſt, ut ſolvantur vel expellantur illæ concretiones calculoſæ; quod eo felicius fiet, quo citius hoc malum cognoſcitur, & cognito efficax medela adhibetur. In initio enim molliores ſunt & minores illi calculi; hinc forte vel ſolvi poterunt, vel ſaltem facilius expelli. Videntur enim *Gliſſonii* a) obſervata evincere, quod hyemali, tempore in bobus natæ incruſtationes calculoſæ vaſorum ſolvantur denuo, dum verno tempore recenti gramine paſcuntur armenta. Ante multos annos hominem curavit *Swietenius* ab hoc morbo, qui quotidiano labore ſibi & ſuis victum parare coactus, expenſis remediorum impar erat, ſimul tamen conſtantis animi, & recuperandæ ſalutis avidiſſimus: hinc promittens curationem facile perſuaſit illi, ut ſolo gramine viveret. Decoquebat magnam quantitatem graminis, in aqua pura, & decocto, melle edulcerato, utebatur pro potu communi: tenerum gramen verno tem-

po-

pore pullulans, vel & post primam sectionem renascens, incoquebat carnium jusculo, illoque solo fere utebatur cibo. Primo tempore curæ libere fatebatur talem victum sibi minus placere, sed sensim assuetus absque ullo postea fastidio sumsit, & per integrum fere biennium, solis hyemalibus mensibus, saltem pro parte excerptis. Narrabat illi, se solo sapore optima jam posse distingere pascua, & clam debere sibi victum in pratis colligere, dum rustici experti, quam magnam copiam graminis quotidie absumeret, illum vi abigerent. Sanatus autem fuit a pertinacissimo ictero sola hac methodo, licet jam saliva ipsi amaresceret; & vidit illum pluribus annis postea incolumi sanitate frui. Multis profuit, quotidie si potarent sex vel octo libras seri lactis recentis per menses: illud enim totam graminis efficaciam habet, demto butyro & colostro caseoso; sed non omnium ventriculus patitur tantam copiam potus quotidie. Ideo meracissima decocta ex gramine, taraxaco, fumaria, cichoreo & similibus dedit, cum sero lactis parata, & in libra talis decocti unciam mediam salis polychresti dissolvit; dein addidit uncias duas vel tres syrupi quinque radicum aperientium, fumariæ,

vel similis: hora ante jentaculum, prandium, & cœnam tertiam partem talis decocti sumebant per trimestre spatium; dein æstivis mensibus aquas spadanas, autumnali vero & hyemali tempore dedit magnam copiam saponis veneti, superbibendo decoctum quinque radicum aperientium. Sic vidit pertinaci usu talium remediorum sanatos fuisse tales icteros, & semper in fœcibus tunc invenit calculos magna satis copia. Simul monebat, ut sæpius de die vola manus dextrum hypochondrium circa illum locum, ubi fundus vesicæ felleæ infra hepatis limbum eminet, concuteretur, equitationibus in rheda, deambulationibus corpus moverent, ut sic & ad se mutuo attriti calculi, minuerentur, vel saltem illorum incrementum impediretur, sicque ad faciliorem exitum disponerentur.

a) Oper. vol. 2. Anat. hep. Cap. VIII. p. 113. 114.

Ubi autem calculi in vesica fellea hærentes admodum magni sunt, vel viæ, per quas transire debent, non satis dilatabiles, tunc parum spei superest, cum hactenus non sint cognita remedia, quæ calculum talem certo solvere possent.

Ob-

Observata docuerunt, quandoque tumentem retenta bile cystidem felleam accrevisse peritonæo, & inflammatione & suppuratione sequente fecisse ulcera fistulosa, ex quibus dilatatis ingentes calculi educti fuerunt, qui ex vesica fellea, in fundo suo per suppurationem aperta, viam sibi fecerant. Unde non sine ratione *Cel. Petit* a) tanquam possibilem & utilem proposuit sectionem vesicæ felleæ; ut educerentur calculi; si nempe constaret, fundum cystidis felleæ peritonæo accrevisse. Signa autem, quibus hoc cognosci potest, ibi recensentur, & plures observationes ibi habentur, quæ hanc rem illustrant; dum nempe pro abscessu habebatur tumor vesicæ felleæ distentæ, & pertundebatur. Notandum autem, periisse illos, quibus bilis, non accreta peritonæo vesica fellea, in abdominis cavum per vulnus factum decidere poterat; adeoque hoc prius sollicite indagandum esse, merito inculcatur. Forte prima fronte audax apparebit facinus talia moliri, sed certe audacior ille fuit, qui primus ex vesica urinaria sectione calculum educere tentavit.

a) Memoires de l'academie chirurgie. T. I. p. 135. 188.

6.) Calamitosus icterus ante septimum diem: quia potius morbi augmentum designat, & hepatis hactenus liberi infarctum a materia adhuc cruda. Unde *Hippocrates* a) dixit; *quibus in febribus icteri oriuntur ante septimum diem, malum.* Subjungit autem: *nisi humores per alvum cedant.* Si enim pulsa in hepar materia difficulter quidem transeat, tamen satis cito dilatatis vasis biliosis in intestina venire potest, per alvum ruit, & liberatur hepar; tuncque transitus est quasi materiæ minus meabilis, per febrim motæ quidem in venam portarum, sed non diu ibi hærentis, & absque flammo hepati inflicto per ductum hepaticum in duodenum intestinum expulsæ. Vidit *Swietenius* plures tales casus, & inter illos hominem curandum habuit, qui media nocte in aquam delapsus, summopere territus tunc, sequenti die acuta satis pleuritide in latere sinistro ægrotare incepit: quarto die morbo color ictericus in oculis aderat, & hypochondria admodum tumebant; verum eodem die vesperi quinquies alvum deposuit cum levamine, & perexit alvi fluxus usque ad diei noni finem. Materia alvo excreta primo erat flava, satis fœtida, dein fusca, ultimo cinerei coloris, olidissima; die decima

ma quarta, largus fudor criticus morbo finem impofuit. Ex his intelligitur alter locus Hippocratis. In biliofa febre ante feptimum diem icterus cum rigore fuperveniens febrim folvit; fine rigore vero, fi fiat intempeftive, lethale.

a) Hippocrat. aph. 62.
b) — — de acut. morb. victu.

7.) Difficilis fanatu poft feptimum diem. Si enim inflammatione jam diutius durante hypochondrium indurefcat, fignum eft materiam illuc delatam retineri, ibique vel vomicam excitare, vel liquidiori parte diffipata fcirrhum nafci.

8.) Dyfenteria larga, cito definens fæpe hepatitidem judicat: quia tunc per inteftina exit illud, quod hepar gravaverat. Verum cito definere debet dyfenteria, aut falutaris fit, evacuata nempe omni materia morbofa, & non læfa inde vifceris integritate. Secus enim corrupto hepate diuturna & infanabilis dyfenteria nafcitur. In illis febribus epidemicis ab *Hippocrate* a) defcriptis, in quibus ægris quibusdam fexto die morbus regius accedebat, notat, plerisque morbum in dyfenteriam de-

desiisse. Laudavit & dysenteriam non longam in lienosis. b) Verum omnis humor lienis in venam portarum derivatur, & inde per hepar in intestina venire poterit. Unde iterum patet, solemnem satis hanc naturæ viam esse, ut materia morbosa ex aliis locis corporis in hepar deferatur, atque inde fluxu dysenterico eliminetur de corpore.

a) Hippocrates Epidem. I.
b) Coac. prænot.

9. Icterus & causa, & effectus hepatis inflammati nonnunquam est. Causa quidem, quatenus hepate obstructo, accedente causa excitante, facile hujus visceris inflammatio oritur. Hepatis autem inflammationem, pro vario exitu icterum producere, in hac ipsa de inflammato hepate protractatione dictum est.

10. Sanguinis eductio, cum hepar inflammatum est, non solum non obest, sed maxime necessaria est, ne inflammatio in suppurationem abeat, quæ in hujus visceris inflammatoria affectione præcipue metuenda est.

11. Vomitoria in infarctu inflammatorio hepatis non conveniunt, febriles enim mo-

motus inde augentur, & inflammationis incrementum accedit. Conveniunt tamen in lenta, pituitosa hepatis obstructione, non febrili, præmissis multis solventibus, & fotu præcordiorum emolliente. Idem de purgantibus, & resolventibus, atque frictione mercuriali, quæ in *Actis Hafniensibus* comendatur in hepatitide, verum est.

12. Quantum intersit, ut in omni morbo acuto, præcipue autem in hepatitide, hypochondriorum conditionem exacte examinemus, facile ex præcedentibus patet.

13. Lobus hepatis inflammatus ventriculo incumbens sæpe pro cardialgia imponit, ut medici de sanando ventriculo, quam de inflammatione hepatis tollenda potius cogitent; magnum sane in ægri detrimentum, cum remedio quocunque evacuante, aut roborante, inflammationis vis increscat.

14. Signa saburralia, quæ viscerum abdominalium inflammationem non raro comitantur, medicos sæpe seducunt, ut hepatitidem pro febre biliosa habeant, & emeticum præscribant.

15. Constans observatio est, prima icteri signa in oculis & urina apparere. Bilis autem, cum saponacea sit, facillime in aquosa

par-

parte sanguinis solvitur, & cum illa per talia vasa movetur, quæ tenuitate sua & sanguinem rubrum & ejus serum excludunt. Verum tunica adnata oculi tota talibus imprimis vasis constat, & nudis fere, vel saltem tenuissima tantum membrana tectis; hinc color flavus a bile sanguine permista statim ibi animadvertitur. Renum vero vasa, urinam secernentium, pariter excludunt sanguinem rubrum & serum, solam aquosam partem sanguinis cum salibus & oleo sanguinis acrioribus redditis, ipsi permistis, admittunt; unde ob eandem rationem, bile sanguini admista, statim tingitur urina. In reliquis vero partibus corporis cutis crassior impedit, quo minus tam cito flavedo appareat, vel copiosa vasa sanguine rubro plena colorem flavum minorum vasorum obfuscant, ut in labiis v. g. ubi pariter crassa cutis abest. In diuturno vero ictero solvitur sanguis a bile admista, pars rubra sanguinis sensim minuitur, copia bilis in sanguinem retropulsæ augetur quotidie, unde tunc totus corporis habitus flavescit, simulque fæces alvinæ, nulla bile tinctæ amplius, apparent albæ, vel grisei coloris; & simulac illæ denuo flavescere incipiunt, urinæ & cutis flavedo minuitur. Interim tamen

vi-

videtur bilis non facile tranfire per illa vaſa, quæ chylum vehunt, vel lac a ſanguine ſeparant: nam chylus in vaſis lacteis, ciſterna lumbari, ductu thoracico, ſemper albus invenitur, & dulcis, licet naturaliter in ſanis bilis contentis inteſtinorum permiſceatur. Vidit *Ill. Swietenius* ictericam mulierem, cui facies & totum pectus ſaturata flavedine tingebantur, reliquæ corporis partes non; infans, quem lactabat, non repudiavit ubera materna, & lac invenit albi coloris absque ulla amaritie. Difficilius etiam tranſit per intricatam fabricam glandularum ſalivalium, nam in ictero incipiente nunquam meminit ægros de amaro ſalivæ ſapore conqueri; in icteris autem inveteratis quandoque hoc contigiſſe obſervavit, ſed non ſemper. Tandem in pertinaciſſimis icteris adeo corrumpitur biliofa cacochymia ſanguis, ut vix aliquid de florido & rubicundo cruore ſuperſit, & omnes partes internæ & externæ bile tingantur, nequidem ipſis oſſibus & cartilaginibus exceptis: quin imo & tenuiſſima fluida, quæ per oculorum vaſa fiunt, ita tinguntur, ut omnia objecta flavo colore appareant perfuſa, quod bis ſe obſervaſſe teſtatur Cel. *Hoffmannus.* a)

a)

a) Frid. Hoffmanni med. ration. ſyſtem. T. IV. p. IV. p. 353.

16. Cur vitia inflammatoria, ſuppuratoria &c. Primo, quia hepar pluribus partium memoratarum incumbit cava ſua parte, adeoque vel ſola vicinia hæ partes male affectæ nocere hepati poſſunt. Secundo, quia ſanguis venoſus a viſceribus abdominalibus redux in truncum venæ portarum confluit, atque inde per totum hepar diſtribuitur, ſicque facile vitia in his viſceribus nata hepati communicantur, vel ſaltem turbatur in hepate bilis ſecretio.

17. Cum tam enormiter &c. Ob eandem rationem: nam impeditur, hepate obſtructo, liber tranſitus ſanguinis per venæ portarum anguſtias, adeoque & venæ viſcerum abdominalium chylopoieſi inſervientium evacuari nequeunt, dum arteriæ pergunt adferre; unde omnia hæc vaſa plena manent & diſtrahuntur. Sic intelligitur ratio illius anxietatis circa præcordia, dum male affectum eſt hepar; uti etiam quare dolores validi diverſa ſæpe abdominis loca occupant, uti & lumbos, quibus menſenterium affigitur, dum mali cauſa in hepate hæret. Hinc toties nephritidi, inte-

ſtinorum inflammationi, aut ſpasmodicæ contractioni adſcribuntur illi dolores, dum paulo poſt ſequens icterus veram cauſam demonſtrat: quod & ſibi contigiſſe *Mortanus* a) candide fatetur.

a) Oper. med. Lib. III. Cap. XIII. p. 138.

18. Cur jecur tam immenſum augeri &c. Quantum molem hepar acquirere poſſit, dum ſuppuratione facta abſceſſus ingentes ibi puris copiam colligunt, in prioribus dictum eſt. Verum & obſtructione hic nata, dum pergunt huc adferri tumores, vaſa hepatis mollia & pulpoſa diſtenduntur facile, ſicque moles hujus viſceris augetur ſæpe immaniter. Sed hæc dilatatio vaſorum, quæ hujus viſceris ſubſtantiam conſtitunt, tunc locum habebit, ſi humores ad hepar venientes nullam aliam viam inveniant, per quam exire poſſint. Videtur autem quandoque contingere, obſtructis biliofis in hepate meatibus, ita dilatari ultimos fines venæ portarum, qui cum venæ cavæ ramulis per hepar diſperſis communicant, ut facillimus tranſitus ſanguinis ex vena portarum in cavam fiat; tunc minus urgebuntur vaſa obſtructa, nec dilatabuntur; imo collabentur

tur tandem, & concrescent cum liquido contento quiescente, sicque hepar minuetur mole, exsuccum & aridum quasi reddetur. Praeterea detectae fuerunt quaedam venae in mesenterio, quae non exeunt in venam magnam mesentericam, sed sanguinem suum in ipsam venam cavam deferunt: hinc non improbabile videtur, impedimento nato circa venae portarum angustias in hepate, sanginem per binas arterias mesentericas allatum, & per hanc viam redire posse ad cor, insalutato hepate. Forte etiam & retrogrado motu venosus sanguis in arterias redire potest, cum hic nullae sint valvulae. Dum hoc fit, omni functione hepatis sublata, languidam vitam trahunt tales aegri; illudque viscus incredibiliter mole minuitur.

Vidit in cadavere viri, ascitidem cum tympanitide passi, & cui sanguis sursum & deorsum copiose exiverat, lienem tumidum *Tulpius* a), hepar vero aridum & retorritum. In mulieris ictericae simul & hydropicae cadavere invenit b) *jecur aridum, atrum, exsuccum, & instar corrugati corii ita in se contractum, ut vix aequaret geminum pugnum.* Exsucca & arida talia jecinora aliquoties in cadaveribus ictericorum & *Swietenio* videre contigit.

a)

a) Obſerv. med. Lib. II. Cap. XXXV. p. 153.
b) Ibid. Cap. XXXVI. p. 154.

In doctrina de hydrope demonſtratur, defectum partis craſſioris rubræ in ſanguine diſponere ad hydropem, verum in ictero pertinaci, bile continuo regurgitante in ſanguinem, ille ſic diſſolvitur, ut nulla penitus rubedo ſuperſit. Præterea in phyſiologicis inter alios uſus omenti & ille recenſetur, quod venoſis oſculis bibulis reſorbeat tenuiſſimum illum halitum, qui in abdomine vivi, & ſani animalis ſemper adeſt: cum autem venosus ſanguis omenti omnis in hepar erat, ſi in hoc viſcere impedimentum fuerit, non poterunt venæ omenti evacuari, adeoque & impeditur illa reſorptio a nimia venarum plenitudine, colligitur in abdomine latex illæ tenuisſimus, ſicque aſcites naſci poterit. Noverunt autem omnes practici, quam raro curetur hydrops, cujus cauſa a male affectis viſceribus, imprimis ab hepate, pendet. Licet enim per punctionem abdominis, aut alia quacunque methodo, evacuentur aquæ, ſuperſtes tamen inſuperabilis ſæpe cauſa hydropem regenerans, & ſæpe ſatis cito.

Quæ dyſenteria hepatica? Si collecta in hepate materies per porum hepaticum in inteſtina viam invenerit, quæ acrimonia ſua irritando tormina & dolores ſæpe validos, cum continuo teneſmo deponendi alvum producit. Dum ſic evacuari poteſt materia morboſa, manente viſceris hujus integritate, ſalubris erit talis dyſſenteria; uti paulo ante obſervationibus *Hippocratis* confirmatum fuit. Ubi vere pus ex hepatis abſceſſu, acrius jam redditum, in inteſtina depluit, longe periculoſior dyſenteria eſt. Si vero corrupti hepatis liquamen liquidiſſimum, vel ſcirrhi in cancrum degenerantis acris ichor, in inteſtina venerint, lethalis ſequitur dyſenteria, nulla arte curabilis. Non ſine ratione *Hippocrates* a) malas dixit eſſe dyſenterias, quæ cum hepatis inflammatione invadebant. Salubres vero illæ dyſenteriæ, quas obſervaverat in Epidemicis ægris, quibus ſexto morbi die icteri fiebant, contingebant circa morbi finem; quod magnum diſcrimen facit.

a) Praedict. lib. II. Cap. XIII. Chart. Tom. VIII. p. 821.

He-

Hepatitis latens.

Validas viſcerum inflammationes & cognoſcere, atque iidem etiam in principio mederi, etſi opus omnino arduum haud ſit, video tamen paſſim medicos, ſpretis adeo manifeſtis phlogoſeos ſignis, ægros ſuos perdere, quos certe ſervaſſent, ſi de cognoſcenda inflammationis præſentia magis fuiſſent ſolliciti. Cum autem id in validiori etiam inflammationis impetu tam frequenter contingat, plura atque graviora pericula ægris imminent, ſi inflammatio clandeſtine in viſcus quoddam incumbit, neque prius medentis oculos ferit, quam tota viſceris compage ita labefactata, ut omnis ars tollendo malo impar ſit. Vidimus id toties in peripneumonia latente, ut etiam proprio capite de ſubdolo hoc morbo agendum eſſe *Stollio* e re videretur; atque id ipſum de hepatis etiam inflammationibus veriſſimum eſt.

Jam pridem id a ſagaciſſimo medico, *Jodoco Lommio* a) obſervatum eſt: expoſitis enim validioris hepatitidis ſignis, ita habet. „Hactenus ea ſigna poſuimus, quæ vehementiori debentur jecinoris inflammationi. Verum hæc tamen (quod nos frequenter uſu medendi obſervavimus) adeo interdum levis, par-

va-

vaque eſt, ut dolor, gravitas, totusque morbus, magna potius reſpiratione deprehendi, quam tactu debeat. Omnia ſub hoc caſu mitiora ſunt, ipſumque vitium multis ſæpe menſibus trahitur. „

a) Lommii obſervat. medicin. p. 188.

Uti hepatis inflammatio, ita ejusdem etiam viſceris ex neglecta inflammatione tabes lente incedit a) „jecur quoque corruptionem tota pati ſubſtantia, ut pulmo ſolet, unde homo ſpatio contabeſcit. Is morbus ſenſim oritur, ſenſimque creſcit; quare per initia hominem lecto non afficit, ſed obire etiam vitæ munia ſinit, tumque febris nulla eſſe deprehenditur, quæ tandem tamen creſcente admodum malo lenta oritur. Non ingens ſitis, non tumor in hypochondrio eſt: ſummum vini meracis optimique deſiderium, maximum carnis, & præcipue calentis faſtidium afficit; totus homo languet, tum animo, tum corpore, ſæpe anima deficit, idque ubi tandem violentius fit, ſudor frigidus erumpit, ſub quo æger perit. „

a) Idem l. c. p. 189.

Ean-

Eandem animadverſionem a) vir Cl. *Theodor Schroeder* propoſuit, atque exemplum triſtis hujus eventus adfert: „Tangit modo animum memoria juvenis, optimæ ſanitatis ſpecie præditi; in cujus corpore omnes ac ſingulæ functiones rite procedere videbantur; qui etiam adverſus quæſtionem de ejus valetudine nunquam hanc eſſe non optimam reſpondebat. Aliquando vero rarius de præter volitantibus in dextro hypochondrio doloribus ex attactu præcipue vel preſſione conquerebatur. Nihili vero illos æſtimavit, diætam, jam ſatis lautam, ne in bilo quidem commutavit, & iſtorum dolorum cauſam potius in flatibus, quam vero hepatis vitio latere credidit. Poſt duorum autem annorum intervallum pungitivi iſti dolores vehementiores evaſerunt, intumit hypochondrium dextrum, habitus hucusque floridus evanuit, & hucdum occultus hepatis abſceſſus in manifeſtum commutatus ægrum intra anni intervallum conſumſit penitus, dum in amplam magnitudinem accretus abſceſſus ruptus materiem in abdominis cavum effunderet.„

a) Theodor. Schroeder de phthiſi hepatica. p. 71.

Signa inflammati ventriculi.

Signa, quibus inflammatio ftomachi (ab aliis aliorum vifcerum inflammationibus) dignofcitur, fequentia funt:

1. Febris acuta continua, quæ omnes inflammationes alicujus momenti, imprimis in vifceribus, comitari folet.

2. Dolor ardens, fixus, pungens in loco ftomachi fuperiorem & anteriorem abdominis partem ventriculum occupare, pro parte hepate tegi, lienem ipfi a finiftris adjacere, pancreas vero fupponi, & diaphragmatis partem ventriculo contiguam effe, ejusque orificium fuperius per diaphragma tranfire, ex anatomicis notum eft. Unde in vicinis partibus nata inflammatio diagnofin dubiam forte facere poffet. Accedit, quod ventriculi fitus mutetur in eodem homine, prout aut vacuus, aut flatibus vel ingeftis diftentus eft. Præterea quandoque & miræ varietates in fitu vifcerum obfervantur, & præfertim in ventriculo.

3. Exacerbatio in ipfo puncto, quo aliquid ei ingeritur. Illud fignum ferme pathognomicum eft, dum ab ingeftis, etiam parca co-

copia, & talibus, quæ cæteroquin facile fert ventriculus, exacerbatur dolor. Si enim in vicinis ventriculo partibus inflammatio hæserit, illa irritatur quidem a ventriculo distento, sed non illic sentitur doloris exacerbatio, si parum simul in ventriculum ingeratur. Solet tunc illico sequi vomitus, sed summo cum dolore, dum pars hæc inflammata convellitur, ac diaphragmate & musculis abdominalibus simul agentibus, validissime comprimitur.

4. Anxietas summa & perpetua circa præcordia. Hinc observantur a venenis assumptis tantæ anxietates, dum adhuc in ventriculo hærent; imo dum bilis corrupta ventriculum irritat, vel adeo facile perfacienda piscium hepata majori copia fuerunt assumpta, intolerabilis anxietas nascitur, donec vomitu hæc excussa de ventriculo fuerint.

Causæ gastritidis.

De causis vero generalibus inflammationis jam sæpius dictum fuit, quæ omnes & hic locum habere possunt. Omnium forte frequentissima causa hujus mali est potus gelidus, calefacto prius a laboribus corpore; de cujus no-

noxa jam ſæpius in præcedentibus morbis inflammatoriis dictum fuit. Verum directe in ventriculum delabitur talis potus, adeoque ibi imprimis mala producet; & quandoque ſubito ſpasmo ſic ſtringitur utrumque orificium ventriculi, ut ſurſum vel deorſum ne guttula quidem exire poſſit, præcipue ſi maximam copiam potus gelidiſſimi, a laboribus æſtuans homo & ſitibundus, ſimul & ſemel ingurgitaverit; a qua cauſa mortem poſt intolerabiles anxietates intra paucas horas factam vidit *Swietennius*. *Frid. Hoffmannus* a) plures ſimiles caſus recenſet inflammationis ventriculi ab hac cauſa natæ, & merito ſtatuit, hunc morbum ſæpius contingere, ac quidem vulgo creditur.

a) Frid. Hoffmann Opuſc. pathol. practica decad. diff. 2. VII. p. 466.

Vicinas autem partes inflammans ſimile malum in ventriculo producere poſſe, ſatis patet, & in partibus externis corporis ſæpe videmus inflammationem per vicina loca ſe diſpergere latius. Hinc non mirum in hepatitide, paraphrenitide &c. defunctorum cadaveribus, ventriculum inflammatum, imo

jam

jam gangrænosum, inventum fuisse, qualia exempla plura sparsim, apud *Bonetum* habentur.

Acria ingesta. Ventriculum humanum sine magno damno acriora multa ferre, quotidianis experimentis constat, qualia plurima recenset *Swalve* in eleganti tractatu *de querelis ventriculi.* Multa enim quæ, inter degluttiendum, si tangerent fauces, acrimonia sua illas læderent, impune sæpe ventriculo recipiuntur. Acerrimis aromatibus, pipere, zingibere &c. languentem a quotidiana crapula ventriculum excitare solent helluones: medici acerrimos ari bulbos contritos, cum aliis remediis mistos, forma pilulari toties exhibent ægris absque ullo damno. Tithymali causticum succum ficubus instillari jussit *Hippocrates* a), atque illas ficus exhibebat ante cibum hydropicis. Interim observatum fuit acria admodum, nullis demulcentibus obvoluta, ventriculum rodere, dolores acerrimos, spasmos horrendos, & inflammationem pessima producere. Imo autem subita morte peremtorum cadavera lustrant medici, ut ad judices de causa mortis referant, si inflammatum ventriculum aut erosum invenerint, acre venenum ingestum fuisse suspicantur.

Plu-

Plures casus habet, qui hanc rem confirmant, *Wepferus.* b) Sed & alia sunt, in quibus tanta acrimonia sensibus non detegitur, & quæ tamen latente stimulo, sed vix donabili, post spasmos sommos inflammationem in ventriculo faciunt. Talem casum habet *Hoffmannus* c), ubi a granis octo vitri antimonii, in substantia exhibitis, vomitus enormis cum dolore acerbissimo excitabatur, dein convulsio & mors. In cadavere ventriculi pars inferior inflammata erat, & vitri antimonii pulvis tunicæ ventriculi interiori adhuc adhærebat.

a) De victu acutor. in fine Charter. Tom. XI. p. 183.

b) De cicutæ aquat. historia. Cap. XXI. p. 284. &c.

c) Frid. Hoffmann opusc. path. practi dec. 2. Diss. VII. p. 456.

Præterea observatum fuit, acrem materiam, vel in corpore genitam, vel aliis viis quam per deglutitionem corpus ingressam, in ventriculum deponi, & pessimas inflammationes & gangrænam sæpe facere. *Helmontius* a) cadaver secuit hominis peste mortui post septem a morbi invasione horas: vomitus continuus cum cephalalgia adfuerat: invenit os

sto-

ſtomachi *eſchera nigra jam catuerizatum.* In alio, qui ſedecim horarum ſpatio obierat a peſte, invenit *ſtomachum triplici eſchera jam perfecta pertuſum.* b) Sed & cel. *Sydenhami* obſervata, alia occaſione jam memorata, videntur ſuadere, peſtis contagium ſæpe radices quaſi figere in ventriculo, niſi per ſudores diffletur de corpore, antequam hic inflammationem validam produxerit; in febre enim peſtilentiali aderat anxietas cum vomitu perpetuo, quæ ceſſabant, ſimulac ſudor prodiret copioſus; & omnino tollebantur, ſi tali ſudore diu protracto expelleretur ſuſceptum virus. Quandoque & variolas peſſimas, & morbillos (ſed in his rarius) talia ſymptomata comitantur, quæ metum faciunt ventriculi inflammati: hinc adeo ſuſpectum ſignum habetur in variolis, ſi poſt eruptionem anxietas, vomitus, ardor circa præcordia adſint; metus enim eſt, ne & puſtulæ varioloſæ ipſum ventriculum obſideant, & periculoſam ibi inflammationem faciant. Idem & a podagræ materia, non amplius in artus depoſita, vel imprudenti medela retropulſa obſervavit contigiſſe *Hoffmannus.* c)

a) Tumulus pestis p. 842. 843.
b) Ibidem p. 867.
c) l. c. p. 460.

Quanta sit necessitas in cura inflammationis diluentium remediorum, in præcedentibus satis patuit: verum inflammatus valide ventriculus a lenissimo etiam potu irritatur, adeoque hac via diluens liquidum subministrari nequit. Præterea nervosissima ventriculi substantia tumore inflammatorio irritata & dolens totum corpus turbare potest miris modis, & imprimis cerebri functiones lædere: quod optime *Galenus* a) notavit, dicens: *Nam ventriculus capiti, & caput ventriculo suas affectiones transmittit, propter nervorum ab encephalo ad os ventriculi descendentium magnitudinem, per quos etiam sensus huic parti, quam illi reliquarum corporis partium: acutior est.* Sed & ipsas vires vitales a simili causa prosterni antea dictum fuit: & *Celsus* a) notavit, percusso stomacho, non tantum sequi singultum & bilis vomitum, & assumta statim reddi, verum & venarum motus elanguescere, sudores tenues oriri, extremasque partes frigescere; quæ omnia mortis imminentis signa sunt. Ex quibus facile patet, summum periculum in hoc morbo adesse.

a)

a) De loc. affect. lib. III. Cap. IX. Chart. T. VII. p. 438. 439.
b) Lib. V. Cap. XXVI. n. 15. p. 287.

De vario exitu morborum inflammatoriorum, qui viscera occupant, jam sæpius dictum fuit, & omnia illa etiam in hoc morbo obtinent.

Verum hoc peculiare habet ventriculi inflammatio, quod convulsionibus sævissima ortis, sæpe subitam mortem faciat. Dum venena acria ventriculum rodunt & inflammant, vel & alia, non habentis tantam acrimoniam, sed singulari modo noxia, nervos hic dispositis irritant, ex *Wepferi* a) observatis plurimis constat, horrendas convulsiones fieri. Quotidiana observata practica docent, infantes, acri acido colostro ventriculum plenum habentes, convulsos mori quam subitissime. Sed & insignis casus b) docet, quam horrenda mala ventriculi inflammationem comitentur. In juvene enim bonæ temperiei primis jam morbi incepti horis pulsus oppressus erat, & sæpe intermittens, paulo post, licet jam ter vena secta fuisset, extrema frigebant ut in cadavere, vertigo summa sequebatur & cæcitas, delirium ferox, ardoris interni intolerabilis sensus, convulsiones musculorum faciei,

ciei, sitis immanis, & simul horror summus, dum liquida allata videbat, ita ut hydrophobus fere esset. Leniebantur post sanguinis missionem symptomata, sed paulo post recrudescentia idem remedium suadebant; ita ut undecies misso sanguine tandem a tantis malis adhuc evaserit incolumis.

a) In hist. cicut. aquat. passim.
b) Medical Essays Tom. I. Nro. 29. p. 284.

Cura gastritidis.

Largam sanguinis missionem summum remedium esse in inflammationis initio, jam sæpius demonstratum fuit, tam in cura generali inflammationis, quam in morbis inflammatoriis ante pertractatis, & modo recensitus casus docuit, quantum venæ sectio audacter repetita valuerit in hoc morbo, jam tot horrendis symptomatibus stipato. Præterea laudati fuerunt diluentes potus, addito nitro, melle, roob sambuci &c. Verum hic major difficultas est, nam a minimo acri irritatur inflammatus ventriculus, & augentur omnia mala: ideo hæc remedia, licet merito laudentur optima in curatione inflammationis, vix

au-

audemus dare, vel tantum adeo diluta, ut oculus non læderetur ab his inſtillatis. Præterea omnia medicamina debere dari pauca copia ſimul, ne diſtentatur ab ingeſtis ventriculus, nam & inde omnium malorum augmentum fieret. Si autem cauſa cognita fuerit, quæ acrimonia ſua rodendi inflammationem feciſſet, dantur ſimul oppoſita huic acrimoniæ remedia; ſic v. g. in infantibus, ab acido acri in ventriculo hærente convulſis, dantur abſorbentia terreſtria, quæ & blanda ſunt, & ſimul acidum abſorbendo enervant.

Cum autem non poſſint intra breve tempus diluentia & attenuantia ingeri magna copia, conamur per alias vias hæc in corpus introducere. Huc faciunt balnea, fomenta, epithemata, & imprimis clysmata, ſæpius applicata & diu retenta, ut venis bibulis inteſtinorum reſorberi poſſunt.

Simul facile patet, quanta malorum exacerbatio ſequi debeat, dum ſtomachicis vulgo dictis remediis (quæ ſolent fere laudari ſpirituoſa, amara, aromatica, acria, & in frigidis ventriculi morbis pulchrum uſum habent) imperiti hunc morbum aggrediuntur. Longe adhuc pejus cum miſeris ægris agitur, ſi medici fallaci illa & periculoſa regula utantur:

Vomitus vomitu curatur. Dumque vident ægros tales a minimo liquido ingesto frequenter vomere, statuunt malignam in ventriculo hærentem saburram morbi causam esse & vomitorio dato illam expellere conantur. Candide fatetur *Sydenhamus* se hic errasse, & dum viderat in febribus epidemicis autumnalibus, in quibus anxietas circa præcordia aderat, & nausea perpetua & vomendi conatus tam pulchre successisse emeticum, post venæ sectionem præmissam, in initio morbi datum; dedit in febre ardenti pestilentiali, ubi vomitus ab incipiente inflammatione ventriculi oriebatur; sed pessimo cum successu. *Cel. Hoffmannus* a) notabilem causam habet, qui docet funestum eventum vomitorii in hoc morbo dat. Canonicus Halberstadiensis perfecte sanus, ira vehementer excanduit, dein vinum calidum superbibit: sequenti die dolores summi circa præcordia, angustia, conatus vomendi, ardor stomachi aderant: vocatus medicus dedit vomitorium ex sulphure aurato antimonii, unde ter vomuit æger, sed cum symptomatum omnium augmento; & intra decem horarum spatium, convulsionibus accedentibus, periit. Cadavere dissecto in fundo ventriculi plures maculæ, partim nigræ, partim rubræ

bræ, apparuerunt. Jam in gangrænam abiverant loca inflammata tam ruditer concussa & pressa a vomendi conatu.

a) Friedr. Hoffm. Opusc. pathol. dec. 2. Diss. VII. p. 454.

Exitus in suppurationem.

Casus suppurati ventriculi habetur in *actis parisinis.* a) Homo continuo dolore ventriculi laboraverat per tres septimanas; cardialgia & nausea frequentes fuerant, ultimisque vitæ diebus multum sanguinis sursum & deorsum evacuerat. Post mortem invenit *Cel. Littre* in ventriculo ulcus rotundum, quinque lineas æquans diametro, & mediam lineam profundum, ad distantiam pollicis cum dimidio a pyloro; multum sanguinis in cavo ventriculi & intestinorum, reperiebatur. Quandoque & tale ulcus, dum peritonæo accrevit ventriculus, extrorsum aperitur, & relinquit fistulam, per quam toto vitæ tempore pars ingestorum exit. Vidit *Swietennius* sexagenariam mulierem, quæ jam per duodecim annos tale fistulosum ulcus gerebat, absque multo incommodo; & vidit contentorum;

ventriculi partem exire per hanc aperturam. Longe mirabilior casus legitur in *Diariis eruditorum* b) de puella, cui ex abscessu hypochondrii sinistri una cum fragmentis costarum cariosis exibant contenta ventriculi. Sensim tamen angustior facta fuit ulceris apertura, & supervixit diu, viribus adeo auctis, ut rusticis laboribus consuetis excernendis par fuerit, & per viginti tres annos malum tolerare potuerit.

a) Academ. royal. des scienc. l'année 1704. Hist. p. 36.

b) Journal des scavans mois d'Aout 1737. p. 534.

Si ex signis prægressis inflammationis ventriculi satis validæ, nec pessimæ tamen, suspicio nascatur, in ventriculo apostema fieri, decocta mollissima ex althea, malva, consolida majore, seminibus lini &c. parca copia simul, sæpe repetitis vicibus danda, ut emolliatur vomica & ad rupturam citam disponatur. Ubi pus sursum vel deorsum prodiens, & levamen malorum, docent, abscessum ruptum esse, tunc lenissimis detergentibus, & postea consolidantibus opus erit. Verum dum consolidandum est tale ulcus, careri debet, ne a copiosis ingestis ventriculus distendatur

di-

diſtraherentur enim denuo illa, quæ coire inceperant. Satis autem patet, difficilem fore curationem, cum omnia ingeſta ulcus alluere debeant, & motu periſtaltico ventriculus continuo agitetur: Solum jus carnium, cum oryza, hordeo, pane &c. coctum, tunc conduceret: forte & per clyſteres nutrientes poſſent ſatis ſuſtineri vires per plures dies, cum ulcus jam purum eſt, ut, quieſcente ſic ventriculo, conſolidatio citius fieret.

Scirrhus ventriculi.

Alter exitus inflammationis, de quo in præcedentibus pariter ſæpius dictum fuit. Plures tales ægri occurrunt quotidie, qui ſe beatos crederent, niſi alimentis indigerent quotidie; ſentiunt enim dolores moleſtiſſimos ab ingeſtis, quandoque ſtatim a paſtu, quandoque poſt unam alteramve horam: nullum levamen ſentiunt a decantatiſſimis etiam ſtomachicis remediis, imo ab omnibus acrioribus dolores augentur; omnium maxime a purgantibus aut emeticis validis. Vidit *Ill. Swietenius* plures tales miſeros, qui dolorum impatientes, aliquot poſt cibum ſumptum horis digito in fauces immiſſo evomebant omnia, ut le-

levamen haberent doloris. Semper tunc suspicandum de scirrhosis tumoribus, ventriculum aut vicina loca obsidentibus; quod & cadaverum sectio confirmavit. Nobilem matronam anglicam vidit tali morbo laborantem, & una cum amico suo *Godof. du Bois* Med. & Phil. Prof. in Acad. Franequerana, deliberavit, quomodo succuri posset huic miseræ, quam jam per plures annos cum hoc malo conflictabatur. Frustra tentata fuerunt omnia; levamen aliquod a blandissimis remediis & opiatis quandoque habuit. In cadavere inventus fuit ventriculus ovo anserino non major; Pylorus & proxima intestini duodeni portio, uti & pancreas, scirrhosa erant. In homine, qui diu de ventriculi dolore conquestus erat, cum vomitu continuo & animi deliquiis, invenit *Ruyschius* a) fundum ventriculi obsessum tumore scirrhoso pugni fere magnitudine, materia tenaci & atra referto, qualem materiam quoque paucis ante mortem horis vomitu rejecerat. His similia & apud *Bonetum* b) plura habentur.

a) Observat. anat. chirurg. XXXIX. p. 38.

b) Anat. pract. Lib. III. Sect. VII. p. 68. &c.

Scirrhus autem, quamdiu benignus adhuc manet, pondere & mole ſua diſtrahendo partes adeo ſenſiles plurimum quidem mali producere poterit; verum ubi temporis diuturnitate, aut acrium medicamentorum uſu, in cancroſam malignitatem vergere incipit, horrendi dolores inde fient. Inſignis talis caſus deſcribitur a *Cel. Petit* a): mulier corripiebatur dolore cum febre, aderant ſimul nauſea & vomitus cum dolore colico; iteratis venæ ſectionibus, aliisque remediis a peritiſſimo medico præſcriptis, levamen habuit quidem, ſed reliquias morbi nondum eradicati neglexit, diætæ regulas minus obſervans. Cum langueret diu, empyricum conſuluit, qui & validiſſimis emeticis, & clysmatibus primo lenioribus, dein acerrimis, in peſſimum ſtatum redegit miſerrimam ægram. Prudentiorum dein conſilio uſa levamen quidem percepit, ſed tandem periit. In cadavere inventa fuit pars ventriculi colo inteſtino vicino firmiter adhærens, & cum illo in maſſam ſcirrhoſam magnam concreta: diſſecto ventriculo, inventum ulcus nigrum fœtidiſſimum duos pollices in diametro habens; quod integumentis concretis cum hoc ſcirrho, viam verſus exteriora fecerat ichori & puri. Plura

ra adhuc maxime notanda circa hoc malum ibidem recenſentur, ſed modo dicta docent, fidelibus obſervationibus conſtare, ſcirrhum ventriculi in cancroſum ulcus degeneraſſe.

Præcipuum eſt, ut nihil in victu exhibeatur, quod exaſperare poſſit hæc mala; jura carnium; cum oryza cocta, vel molliſſimis oleribus, hic ſunt præcipua: vitelli ovorum, cremores hordei, avenæ & ſimilia parca copia ſimul data, ab his enim magnum ſolamen in doloribus illis chronicis circa ventriculum ſolet percipi. Ubi vero ſcirrhus adhuc recens eſt, magna copia ſaponis veneti profuit, ſed diuturno uſu, ita ut drachmas duas quotidie per plures menſes ſumerent ægri: ſummum enim diſſolvens eſt & ſatis mite; ſi autem ab hoc aſſumto dolores augeantur, abſtinendum eſt illico; tunc enim metuendum eſt, jam in cancroſam indolem degenerare ſcirrhum, qui tunc nequidem illud remedium ferre poteſt. Proſunt & aquæ medicatæ ſpadanæ, vel his ſimiles, quæ mira vi ſolvendi concreta in corpore valent, neque interim acrimoniam magnam habent.

At vitium hoc, ſcirrhus nempe ventriculo, non tantum a prægreſſa inflammatione, ſed ab aliis ſæpe cauſis ventriculum afficien-

ti-

tibus oritur. Has caufas fequentes *cl. Petzold* enumerat:

1. Commoratio in loco humido, paludofo: miraturque hanc caufam a binis clariffimis *Mahuys* & *Geuns* in folutione quæftionis *Harlemenfis, quænam caufæ fenfim obortæ & lethalis deglutiendi difficultatis ex vitio œfophagi, & quare is morbus frequentior in Belgio appareat*, atque etiam a *cl. Bleuland* in pulcherrima differtatione *de fana & morbofa œfophagi ftructura*, omnino prætervifam fuiffe 2) Victus craffus, farinofus, non fermentata e. g. Fabæ, pifa, placentæ, facharata &c. 3) Acida, auftera, magna copia ingefta. Ita *Hallerus*, Op. m. T. III. p. 306. ab aceto magna copia ad minuendam obefitatem ingefto, ventriculi fcirrhum, & *Gorrizzius* Eph. M. C. Cent. 8. obf. 20. p. 288. a citris large comeftis pylori fcirrhum obfervarunt. 4) Potus defectus, aut abufus potuum calidorum, adftringentium, fpirituoforum, præcipue potus *Punch*. 5) Alimenta aut potulenta nimis calentia; deinde potus gelidus affumptus æftuante corpore, quam ultimam caufam frequentem effe adfirmat *Trillerus de fame lethali ex callofa oris ventriculi anguftia*. 6) Vita fedentaria. 7) Delufus amor, curæ

&

& diuturnus animi mœror. 8.) Evacuationes humorum copiosæ, aut humorum etiam retentio e. g. mensibus, hæmorrhoidibus suppressis. 9.) Morbi prægressi, præcipue metastases materiæ morbificæ ad ventriculum, uti sæpe contingit morbis exanthematicis, & febribus intermittentibus male curatis. 10.) Frequens validorum purgantium, & vomitoriorum usus, venena, vina mangonizata. 11.) Thoraculorum abusus, regionis stomachicæ percussio. a)

a) Joan. Nash. Petzold von Verhærtung und Verengerung des untern Magenmundes. §. 17.

Inflammatio lienis.

Inflammationem quandoque lienem occupare negari nequit, nam cadaverum sectiones docuerunt, inflammationis effectus in liene observatos fuisse. Verum minus frequenter, quam alia viscera, lienem inflammari, notavit *Trallianus* a). Præcipua signa autem inflammati lienis sunt, febris acuta continua, dolor in loco lienis, quandoque ad humerum, mammam & claviculam sinistri lateris protensus. Licet autem & functiones læsæ partem af-

affectam in morbis denotent, cum lien soli hepati inservire tantum videatur, non poterimus accurata signa ex hoc fonte colligere, eo quod hepatis læsio vitia lienis tardius tantum sequi soleat. Quin imo experimenta docuerunt in vivis animalibus capta; lienem ligatis ejus vasis inutilem reddi, imo & exstirpari posse integre, & tamen animalia diu postea adhuc supervixisse, absque notabili sanitatis noxa. b)

a) Lib. VIII. Cap. XII. p. 484.

b) Malpig. de liene Cap. VI. p. 124. Brunner de pancreate in præfat. p. 9.

Non videtur improbabile, quandoque sub pleuritidis nomine tractari lienis inflammationem, & absque magno damno, cum cura pleuritidis & huic morbo curando conveniat *Cel. de Haen Swietenio* talem casum transmisit, qui hoc confirmat. Homo triginta quatuor annorum a medico tractabatur ut pleuriticus, & quidem tali cum successu, ut secundo jam morbi die a febre & dolore sinistri lateris fere integre liber se sanatum crederet, omnemque medelam negligeret postea, sed infelici cum eventu. Languit enim postea, & fassus fuit, se semper obtusum dolorem in loco prius affecto percepisse.

ſe. Poſt paucas ſeptimanas, a primo morbi inſultu, inſignem habuit in dextro crure tumorem, ſponte poſtea evanidum ſimilem tumorem deinde percepit in dextro latere per quam magnum, ſponte etiam poſtea evaneſcentem. Similis tumor denique apparuit in femore ſiniſtro & illo manente, novus tumor occupavit internam brachii dextri partem mollis & pugno major. Succeſſit deinde dyſenteria, aſcites, una cum hydrope anarſarca totius corporis, proſtratio virium & mors.

In cadavere biduo poſt mortem diſſecto apparuerunt ſequentia: Abdomen turgidum, lividum ubique, præſertim in latere ſiniſtro. Omentum breviſſimum vix duos digitos longum, macilentum. Inteſtina omnia turgidiſſima, & fere per totam longitudinem, craſſa æque & tenuia, inflammata, & pluribus in locis jam gangrænoſa: Limpha non admodum copioſa in abdominis cavo. Ventriculus pariter turgidiſſimus, ſiniſtra ac maxime ſuperiori parte longe lateque gangrænoſus. Pancreas flaccidum, parvum; meſenterium integrum, exſangue: meſocolon exhibuit plura friabilia corpuſcula obſcure viridia, mole, calore, figura, referentia capparidum gemmas, quæ aceto vel muria conditæ menſis ad-

hi-

hibentur: Hepar perquam magnum erat, in parte inferiore magis fuſcum quam naturaliter eſſe ſolet: Lien inferiore parte peritonæo accretus, pure albo, craſſo, copioſo plenus: copia quædam ſimilis puris aquæ, in cavo abdominis repertæ, innatabant. Tumor brachii lanceola apertus, dedit idem colore ac conſiſtentia pus, ac in liene deprehendebatur. Pulmones hinc inde membranæ pleuræ adhærebant concreti.

Tota hæc hiſtoria docet, lienem inflammatum, ægri incuria non integre ſanatum in ſuppurationem abiviſſe: pus reſorptum ad varia loca corporis metaſtaſin feciſſe; tandemque purulenta cacochymia totum ſanguinem corrupiſſe. Simul notandum, hepatis molem inſigniter auctam fuiſſe, dum ſplenis, purulenta labe conſumpti, functio ceſſabat; quod & *Malphigius* & *Brunnerus* obſervaverant in animalibus, quibus ſplenem exſecuerant, vel ligatis vaſis illum reddiderant omnino inutilem.

Lienis vero ſcirrhus longe frequentius occurrit, unde familiarem ſpleni hunc morbum dixit *Aretæus* a). Talis autem tumor duritie, & pondere vicinas partes miro modo lædere & diſtrahere poteſt, & vehementis-

tiſſimos dolores facere. In cadavere mulie-bri *Cel. Ruyſchius* b) lienem invenit octuplo majorem, quam naturaliter eſſe ſolet: bilanci impoſitus quatuor libras pendebat, & in pelvim deſcenderat. Bis in cadavere vidit *Swietenius* lienem ſcirrhoſum ingentem ad pelvim usque prolapſum, plura talia *Drelincurtius* c). Neque adeo mirum videtur, lienem, mole & pondere arctum, propria gravitate deſcendere, ſenſim elongatis vaſis verſus inferiora abdominis; ſed rarus caſus docuit tumentem lienem, & ſurſum aſcendere poſſe. Invenit hoc in homine, poſt diuturnam febrim intermittentem hydropico facto *de la Motte* d). In ejus cadavere lien mole inſigniter auctus diaphragmatis ſiniſtram partem ſurſum truſerat, ita ut parvum tantum ſpatium inter ſummitatem lienis & axillam inveniretur. Ubi autem lien, dum indureſcit, ſimul mole minuitur, tunc credibile eſt, facilius tolerari illud malum. In homine enim ſexagenario (qui nunquam queſtus fuerat de dolore aut alio malo, unde ſuſpicio mutati adeo inſigniter lienis naſci potuiſſe), *Cel. Littre* e) invenit lienem integre putrefactum, ſed tantum unciam cum dimidia ponderantem:

vio-

violenta autem morte perierat ille homo, hinc & diutius fuperftes effe potuiffet.

a) De caufis & fign. morb. diuturn. Lib. I. Cap. IV. p. 43.
b) Obfervat. anatom. Chirurg. LXII. p. 58.
c) Differtat. anat. practom. de Lienofis Cap. XVII. Opufc. omnia p. 768.
d) Traité complet de chirurgie Tom. II. p. 169. 170.
e) Academ. royale des fciences l'année 1700. hift. p. 50.

Ubi autem fcirrhus lienis in cancrum degenerat, tunc vicina omnia depafcitur, & poft intolerabiles cruciatus, erofis vafis, fubitam & lethalem hæmorrhagiam producit. Lethalem talem per alvum hæmorrhagiam vidit *Drelincurtii* a) patet in fœmina, cujus lien cancrofus fubjectum colon arroferat.

a) Diff. an. pract. de lienof. Cap. XIV. Opufc. om. p. 763.

Inflammatio pancreatis.

Cum illud ponatur intra duplicaturam mefocoli, & uno extremo fuo adhæreat duode-

deno, ubi illud pyloro continuatum incurvatur, transverſaliter pone ventriculum pergat fere ad lienem usque, & in hoc itinere portio duodeni inter pancreas & lumborum vertebras locetur; patet ſatis difficilius morbos pancreatis diſtingui poſſe, cum non tam facile tangi poſſit, quam lien, & dum tumet pancreas, ventriculum & duodenum neceſſario comprimere debere. Poſſit ergo inflammatio pancreatis quandoque cum ventriculi aut duodeni ſimili morbo confundi; ſed inde in curatione nullum damnum orietur, cum ſimilis omnino medela requiratur.

Tumores autem pancreatis inflammati, ſuppurati, ſcirrhoſi, cancroſi, peſſime afficere poſſe vicinas partes, ſponte patet. Quandoque & pancreas ſcirrhoſum adeo intumuit, ut extrinſecus tumor percipi potuerit. Aliquando licet inſigniter mole auctum fuerit, tamen foris nullus tumor conſpicuus apparet. Ex *Riolani* illud confirmat *Craaſius* a) exemplo III. viri *Aug. Thuani*, qui habitus melancholici per quadriennium de dolore circa regionem coli, cum ſenſu ponderis ad regionem ſtomachi, dum erectus ſtaret, vel ambularet, conqueſtus fuit: nec tumebant tamen ei hypochondria. In cadavere defuncti in-

ven-

ventum hepar, rotundum inſtar ſphæræ, farctum & transfixum gypſea pituita ſævum referenre. Pancreas mole & pondere hepar æquabat, totum ſcirrhoſum, multis globulis ſpecie ovi columbini conſtans. Lien exilis, vix unciam ponderans. Plures ibi caſus collegit *Graafius* pancreatis ulcerati, ſcirrhoſi, cancroſi, calculoſi &c. Unde merito in praxi verſati medici, dum chronici illi dolores abdominis adſunt, talem caſum ſuſpicantur, & blandiſſima tantum remedia exhibent prudenter, ne acrioribus exhibitis irritentur talia mala.

a) Regn. de Graaf de ſucco pancreat. Cap. VII. p. 108. &c.

Inflammatio omenti.

Illud, uti ex anatomicis notum eſt, a fundo ventriculi ſupra inteſtina extenditur, ad umbilicum usque; quandoque longe profundius deſcendit; aliquando regionem epigaſtricam non excedit ſua longitudine; magnam enim hic in cadaveribus diverſitatem invenerunt anatomici quoad variam omenti extenſionem. Præterea omentum, licet maxima

ſui parte inteſtinis ſuperſternatur, tamen & vaſis hepar ingredientibus, duodeno, colo, pancreati, lieni adnectitur, adeoque pro diverſitate loci, quem morbus omenti occupat, varia poſſent fieri mala. Unde etiam videtur difficultas in diagnoſi talium morborum naſci. Præterea obſervationes certiſſimæ docuerunt, magnam omenti partem, poſt vulnera abdominis erumpentem, abſciſſam fuiſſe, ſuperſtitem ægro, & absque magno ſanitatis damno. *Galenus* a) gladiatori vulnerato integrum fere omentum abſcidit, qui tamen confeſtim ſanatus eſt, & hoc tantum incommodi habuit, quod a frigore externo abdomen magis defendere debuerit. Frequentes tales caſus in bellis hodiernis docuerunt, inſignem partem omenti ſæpe reſectam fuiſſe, absque tali incommodo ſequente. Unde patet, non facile ex læſis functionibus ſigna hauriri poſſe, quæ docerent omenti morbos. Quin imo *Ruyſchius* b), obſervavit omenti integram conſumptionem frequenter non tantum in brutis, ſed & in hominibus, qui acutiſſima angina, vel & violenta morte perierant, in quibus ante mortem nulla hujus rei ſuſpicio fuerat. In morbis chronicis, & imprimis in hydropicis, ſæpe omentum per-

iiſſe

iiſſe obſervatum fuit, quod minus mirum videtur.

a) De uſu partium *Lib.* IV. Cap. IX. Charter. Tom. IV. p. 377.
b) Obſervat. anatom. p. 23.

Si inflammatum omentum in ſuppurationem abierit aut gangrænam, effuſo pure vel ichero gangrænoſo, ſequentur eadem mala, ac de abſceſſu reliquarum inflammationum dicta ſunt.

Ubi vero in ſcirrhoſos tumores induruit omentum, tunc preſſione & diſtractione partium, quibus contiguum eſt vel adhæret, plurima mala producere poteſt, inprimis dum moles indurati omenti magna eſt; cæteroquin minus nocet. Contingit quandoque mulieribus, poſt puerperium felix jam in integrum reſtitutis, tumorem durum & oblongum in abdomine habere: quandoque per plures annos tales tumores manent, fere absque dolore, & ſola mole fere moleſti ſunt. In cadavere quodam detexit *Ruyſchius* a) talem tumorem factum fuiſſe ab omento duos fere digitos craſſo, tres digitos lato, ſpithanam cum dimidia longo & ſcirrhoſo. Videtur omen-

 tum

tum in gravidis ab utero aſcendente, & viſceribus loco motis, comprimi ac convolvi in ſe ipſum, tuncque talem tumorem producere. Ita & tumor abdominis ab omento osſeo facto inventus fuit b). Mirabilem magis adhuc caſum deſcripſit jam ſæpius antea laudatus *Ant. de Haen* c), ubi in hydropicæ cadavere reperit omentum in compactam & vaſtam molem concretum, duos digitos latos craſſum ubique, niſi quod in ambitu parum gracileſceret: hujus monſtroſi omenti ope ventriculus, colon, duodenum ac jejunum ita coaluerant in unum, ut non niſi deſtruendo a ſe invicem divelli potuerint.

a) Obſerv. anat. chirurg. LXIII. p. 59.
b) Acad. royal. des ſcienc. l'année 1732. hiſt. p. 48.
c) Hiſt. Anat. med. morb. mir. incurabil. &c. Hagae Batavor. 1744. 8vo.

Corollaria practica.

1. Difficilem eſſe ventriculi inflammati curationem optime patet conſideranti, viſcus hoc magno & vaſorum, & nervorum apparatu eſſe præditum, ſuumque ſitum inter reſpirandum a deſcenſu ſepti transverſi, a parti-

tibus vicinis, a contentis feu alimentis, feu medicamentis mutare continuo, fummamque effe adverfus omnem ftimulum impatientiam; præterea ipfa etiam remedia, quæ lenire deberent inflammatorium ftimulum, vel fola copia irritant, & ad vomitum follicitant affectum ventriculum.

2. Etsi communis fit medentium opinio vomitum, diarrhæam, cardialgiam fauftos effe variolarum præcones, id tamen non ita intelligendum eft, eadem fymptomata facta jam eruptione idem fignificare. Potius enim tunc juftus metus fubeft, variolas interiora ventriculi & inteftinorum occupare, atque irritando hæc fymptomata producere.

3. Cum lien friabilis admodum, & magnæ fæpe expanfionis capax fit, rarior eft hujus vifceris inflammatio, at eo frequentior lenta obftructio. Lentæ tales lienis obftructiones fæpe facile cedunt folventium ufui, non raro autem erga omne refolventium remediorum genus rebelles obfervantur.

4. Hepatis inflammatio fubinde medicis pro fplenitide imponit, fi nempe hepar inflammatum, & mole fua auctum ad finiftrum hypochondrium pertingit.

5. At lien etiam inflammatum, moleque auctum altiorem situm in sinistro hypochondrio adquirens, pro inflammata pleura subinde habetur.

6. Ob partium itidem vicinitatem intestinum colon, aut flatibus distentum, aut inflammatione affectum, lienis inflammationem præseferre, facile intelligitur.

7. Omenti inflammatione non bene resoluta, & vincula, tumores, cum vicinis coalitum faciente, herniæ oriuntur internæ, incarceratæ, lethales plane; ileus, volvulus.

ENTERITIS.

Causæ & divisio enteritidis.

Gravissimus morbus est tubi alimentaris inflammatio, quæ tamen intestina tenuia frequentius afficere, quam crassa, practicorum observationibus constat; rationem reddunt, quod forte crassorum intestinorum talis sit constitutio, ut minus facile afficiantur, quam tenuia, cum stercoraceæ materiæ jam subputridæ & acriori servandæ inserviant: præterea omne acre ingestum, vel mora in ventriculo aut intestinis tale redditum, primo

no-

noxam inferat inteſtinis tenuibus, antequam ad craſſa pervenire poſſit.

Inter cauſas enteritidis id omne referendum, quod ſeu intus natum, ſeu foris alimenti, medicamenti, aut veneni titulo ingeſtum aliorum etiam viſcerum inflammationi producendæ idoneum eſt; ut itaque ſpeciali harum reum enumeratione haud egeamus. Summam inter has cauſas attentionem herniæ incarceratæ ſibi vindicant, cum ab hac cauſa aut non cognita, aut neglecta, multorum hominum vita perdatur.

Enteritis alia *originaria* eſt, alia *ſymptomatica*; eaque ultima frequenter obſervatur in febribus bilioſis, a ſaburra acri, neglecta; in putridis a ſaburra putrida non evacuata, *inflammatio enim putrida præverti fauſto non raro poteſt, ſed præſens jam, atque intra viſcera recepta, ut plurimum necat.* a) Nimia etiam in febribus putridis purgantium doſis, quibus acris fomes commovetur, inteſtinorum inflammationem producunt; alexipharmaca tandem methodus huc pertinet, cum nempe camphora, cortice, arnica armati vires vitæ præter rationem exſtimulamus.

a) Stoll rat. med. T. II. p. 382.

Symptomata enteritidis.

Præcipua nunc ſymptomata, quæ enteritidem, præter febrim acutam omnibus inflammationibus junctam, ſolent comitari, enumerabo:

1. Dolor continuus, fixus, rodens, attactu auctus. Si inteſtina tenuia laborant, dolor ille medium abdominis, ſive umbilicalem regionem occupat, ubi naturalis tenuium inteſtinorum ſitus eſt; craſſis autem inteſtinis potiſſimum affectis, lumborum potius dolor & gravitas obſervatur. Dolor hic frequenter flatibus ſtipatur, quibus inſigniter augetur. Notavit hæc ſymptomata *Aretæus* a) dolores nempe oberrantes, ructus inanes, nihil proficientes, alvum flatibus murmurantem, qui ad anum usque proveniunt, neque exeunt tamen. Hinc apparet, quare *Sydenhamus* b) obſervaverit, ſub initio morbi non ita certo ad unum aliquod punctum determinari dolorem, dum in diverſis locis inteſtini talis contractio fit; verum ubi tota vis morbi unum locum urget, tunc in puncto quaſi figitur dolor, & attrociſſimus evadit, ſæpe nullo modo remittens, donec gangræna nata ſubito omnem dolorem tollat.

a)

a) Aretaeus de caufis & fignis morb. L. II. C. VII.
b) Sydenh. Sect. IV. C. VII.

Differt etiam is dolor, a colicæ faturninæ dolore, qui, quamdiu malum impermixtum eft, neque inflammatoriam adhuc indolem fibi adfcivit, rudiorem etiam attactum ferre folet.

2. Vomitus affumptorum, & viridium; a ftimulo nempe inflammatorio, qui medicos incautos fæpe decipit, faburram in primis viis mentiendo.

3. Ab eodem ftimulo inflammatorio profufior, in morbi initio, alvus obfervatur, quæ tamen morbo increfcente conftipatur.

4. Morbo graviori tandem ileus & volvulus fuperveniunt.

5. Summa virium animalium proftratio. Pulfus in hoc morbo fallaciffimus, ut ex eo folo de inflammationis præfentia aut magnitudine nihil certum ftatuas. Notavit *Stollius* a) „inflammationem inteftinorum adeffe poffe cum febre vix ulla, & dolore exiguo, idque frequentius fieri, ac communis opinio fert. Confirmatur & hiftoriis a *Morgagnio* b) recenfitis, dolorem colicum pulfibus & ruina bonis per aliquot dies valde tolerabilem, fubi-

bito lethalem fieri poſſe. Moniti ab hoc auctori prolati veritas novo ab eodem argumento ſtabilitur: quando cum aliis inflammatorum inteſtinorum ſignis vehementem dolorem, & acutam febrim in ægrotantibus deprehendes, jure quidem, meritoque credes rei medicæ auctoribus, hæc duo inter præcipuas notas magnæ inteſtinorum inflammationis ponentibus; nec tamen, ſi quando alterum, vel utrumque horum aut abeſſe, aut vix eſſe invenies, omnino putabis, aut nullam eſſe inflammationem, aut levem, neque gangrænam & ſphacelum in eorum eſſe inteſtinis non poſſe, in quibus duo illo præceſiſſe non videris."

a) Stoll rat. med. T. I. p. 267.
b) Morgagni de ſed. morb. Lib. III.

6. Aliud non infrequens & periculoſum enteritidis ſymptoma convulſiones ſunt, quæ in hominibus irritabilibus, infantibus præcipue, adeo quandoque vehementes obſervantur, ut appoplectica mors inſequatur.

7. Meteoriſmus inflammatorius plerumque in graviori morbo obſervatur.

8.

8. Cito ſæpe, & medicis non opinantibus inteſtinorum inflammatio in gangrænam terminatur; decipiuntur enim non raro ſubita dolorum evaneſcentia, & alvi, quæ antea occluſa fuerat, nunc ſubita ſolutione; verum ſphaceli effectus, non autem ſanationis ſecuturæ indices hæc ſymptomata ſunt.

9. Morbo etiam hoc acuto ſuperato, diuturni nihilominus inteſtinorum dolores remanent.

Variæ ſunt deceptiones, quibus enteritis ſub ſpecie alterius morbi medicis imponit; atque omnium frequentiſſime pro colico dolore habetur, qui perfrigerationi, ſpasmis, flatibus adſcribitur. Hinc carminantia, emetica, opiata, peſſimo cum eventu toties præſcribuntur.

In omni itaque colica vehementiori gravis regula obſervanda eſt: 1.) Omnis colica gravior, continua, tanquam inflammatoria curanda eſt. 2.) In omni colica, maxime cum vomitu & alvo occluſa, de hernia incarcerata cogitandum, atque in cauſam incarcerationis indagandum eſt.

Ubi autem rectum inteſtinum inflammatur, tunc ſimilia oriuntur ſymptomata, ac dum vaſa hæmorrhoidalia, craſſo ſanguine

tur-

urgida, inteftina recti eavum arctant, vicina comprimunt, fœcibus alvinis viam præcludunt, cum tenesmo tamen continuo & molefto alvum exonerandi. Unde apparet, fæpe illud malum haberi pro hæmorrhoidibus cæcis, quæ dicuntur adeffe, dum omnia fymptomata, hæmorrhoides tumentes comitari folita ægrum infeftant, & nullus tumor in parte ani exteriori apparet, fed varicofa vafa intus latent. Accedit, quod ab hæmorrhoidibus tumentibus fæpe & inflammetur inteftinum rectum. Neque ille error multum nocebit, cum fimilem medelam fere pofcat uterque morbus; febris tamen acuta, inflammationis validæ comes, præcipuam diftinctionem hic faciet. Cum autem in viris collum veficæ inteftino recto contiguum fit, & illud irritatum ftranguriam moleftam facit fæpe; quod & *Hippocrates* a) monuit: verum & idem malum ab hæmorrhoidibus cæcis tumentibus fieri, quotidiana obfervata teftantur; imo & integram urinæ fæpe fuppreffionem ab eadem caufa natam fuiffe vidit *Swietenius*, quæ ruptis vafis tumentibus, & fanguine copiofo per anum excreto, fanabatur ftatim.

a) Aphor. 58. Sect. V. Charter. T. II. p. 230.

Pa-

Patet ſatis, adhuc facilius curabilem eſſe inflammationem inteſtini recti, quam coli, cum & topicorum efficacia, imprimis balneorum & fomentorum, hic immediate loco affecto applicari poſſit, & diutius absque vitæ periculo tolerari hoc malum, dum totus reliquus inteſtinorum tractus morbo vacat. Ubi autem ſoluta materies inflammatoria per vaſorum extrema dilatata exit, & partem affectam liberat, tunc exit per alvum, ſed cum dolore & moleſtia; hinc dicitur ſolvi dyſenteria, ſed blanda, ſubcruenta & bilioſa: ſimilis enim tunc exit materia a loco inflammato, ac per ſputa educebatur in peripneumonia per coctionem & excretionem materiæ morboſæ. Cum autem inteſtinum rectum copioſo muco obliniatur, ut fœces commodius exire poſſint, & ille mucus, inflammato hoc inteſtino & irritato, copia magna ſimul exire ſolet; quod idem in aliis partibus corporis, muco naturaliter madentibus, obtinere videmus, ſi inflammatione corripiantur, Notum v. g. eſt quanta copia muci excernatur, dum tonſillæ, uvula, velum pendulum palatinum, inflammantur. Moleſtiſſimum in hoc affectu ſymptoma eſt teneſmus, quod & *Hippocrates* a) notavit, dicens:

cens: *Si rectum intestinum inflammetur, & dolor prehendat & febris & ad alvum exonerandam crebro desideat, nihilque dejiciat, & a pituita videatur anus procidere: interdum etiam urinæ stillicidium prehendat, qui morbus oritur, quam pituita ex corpore in rectum intestinum incubuerit.* Inde & intelligitur ratio, quare alio in loco dixerit *Hippocrates* b), tenesmum in dysenteriam transire: ubi nempe, inflammato recto intestno, tenesmus oritur, & dein morbus per blandam & subcruentam dysenteriam solvitur. Uti etiam, quare alibi c) monuerit, *in tenesmo sanguinem & mucum secedere*; & paulo post addat: *Ac fit quidem ex iisdem, a quibus & dysenteria: verum imbecillior, & brevis, & non lethalis.* Notandum enim, dysenteriam molestam quidem esse, sed non semper noxiam; imo quandoque salutarem, si nempe morbosa materia evacuetur, quod in genere notavit *Hippocrates* d), dicens: *Hujusmodi enim egestiones etiam eos, qui prius sunt in corporibus, morbos sanant; antiquiores quidem diuturniore tempore; recensiores autem in paucis diebus submovere possunt.*

a)

a) De fiſtulis Cap. V. Charter. Tom. XII. p. 143.
b) De morbis Cap. II. Charter. T. VII. p. 533.
c) De affectionibus Cap. VII. ibid. p. 628.
d) Prædict. Lib. II. Cap. XIII. Charter. Tom. VIII. p. 821.

Sic expenſis illis, quæ ſpectant diverſitatem in hoc morbo, prout varia inteſtinorum loca occupat; ſequitur, ut videamus illa, quæ ad curationem requiruntur.

Cura enteritidis.

Cura atrocis hujus morbi in ſequentibus conſiſtit:

1. Larga venæ ſectio inſtituenda eſt, eaque dolore non imminuto repetenda; neque tamen ad animi usque deliquium, uti *Aretæus* ſuaſit, ſanguis mittendus eſt. Si a fluxu hæmorrhoidum ſuppreſſo dolores colici originem ducunt, hirudines ad anum applicatæ præſentaneum lenimen adferunt.

2. Applicata enemata; ſed facile parabilia ſint, ex infuſo, decocto emolliente; ex emulſo. At parca copia ingerantur, ut retineri poſſint ab ægro.

3. Sorbitiones crebræ, tepidæ decocti emollientis, radicis ſalab, altheæ &c.

4. Cataplasmata pariter emollientia, facile parabilia, ex farina aqua ſimplici cocta, toti abdomini circumpoſita egregie proſunt.

5. Nocent omnia medicamenta irritantia, calefacientia, quibus vis inflammationis neceſſario augetur.

6. Summi momenti regulam addidit *Boerhaavius* de protrahenda cura enteritidis, eam nempe eousque prolongandam eſſe, donecpoſt triduum nullus amplius dolor appareat. Ideo *Sydenhamus* a) probe gnarus, hunc morbum præ aliis omnibus in recidivam maxime pronum eſſe, tenuem victum, ſolo imprimis jusculo pulli gallinacei commendat; & tali tantum quantitate, quæ ad vitam ſuſtentandam ſufficere poteſt. Cavendum etiam eſt, ne majori copia graventur cibi, etiam tenuis, & facillimæ digeſtionis, & ideo parum ſimul, ſed repetitis vicibus, detur, ut tempus concedatur diſtentis ſæpe antea enormiter inteſtinis, quo interim contrahi poſſint, & amisſum ſenſum recuperare. Ita & *Celſus* b) cavendum juſſit a cibo inſtante & valido; etiam poſtquam dolor & febricula jam quieverant, ne inteſtina adhuc imbecilla lædantur, ſolam

aquam

aquam pro potu concedebat, monens; omne violentum, sive acidum huic morbo alienum esse.

a) Sydenh. Sect. I. C. IV. p. 92.
b) Celsus L. IV. c. XIII.

Suppuratio intestinorum.

Abscessus in intestinis natus duplici via poterit exonerari a pure contento, vel in cavum abdominis, vel in cavum intestinorum. Quænam mala metuenda sint, dum abscessu rupto pus in cavum abdominis depluit, dictum fuit.

Ubi autem in cavum intestinorum pus venit, facile viam per alvum invenit, & sæpe inde evadunt ægri, succedente dysenteria purulenta, quæ pro diversa magnitudine abscessus, ejusque varia conditione citius sanabitur, vel diutius protrahetur, uti sponte patet. Quandoque & intestina inflammata peritonæo accrescunt, tuncque abscessus ibi natus poterit extrorsum aperiri, simili modo, ut in hepatis & ventriculi inflammatione dictum fuit. Rarius tamen hoc contingere videtur, saltem hujus rei apud observatores

rara mentio habetur. *Aretæus* a) tamen testatur, quod in quodam ægro abſceſſum colli in dextra parte prope jecur diſſecuerit, unde multum puris effundebatur, & pariter per renes & veſicam exibat per plures dies, ſuperſtite ægro. Si vero abſceſſus talis diu clauſus manet, pus, mora tenuius & acrius redditum, venis bibulis in tota ſuperficie ſacci talis purulenti hiantibus reſorptum ſanguini permiſcebitur, & cacochymiam purulentam producere poterit; unde tabes metuenda eſt.

a) De cauſis & ſignis morborum diut. Lib. I. Cap. IX. p. 37.

Cum autem inflammatio, & illam ſequens ſuppuratio omnium frequentiſſime hæreat in tunica cellulofa, talisque in inteſtinis manifeſte deprehendatur ab anatomicis; contingit quandoque, ut per tumorem ſuppuratorium, in hac celluloſa hærentem, ſecedat ſeparata a reliquis tunica interior villoſa, & exeat per alvum referens figura ſua cavum inteſtinalem tubum, non ſine ægrorum & adſtantium inſigni metu, qui ipſum inteſtinum ſic egredi putant, nullamque ſanationis ſpem ſupereſſe.

Pul-

Pulchre hoc obſervavit *Aretæus* a) dyſentericis quandoque contingere. *Nonnunquam oblongum quiddam in pluribus non diſcretum, inſtar ſani inteſtini dejicitur, & ignaris rei ſuſpicionem præbuit inteſtini: ita autem ſe habet. Inteſtinorum tunicæ perinde ac ventriculæ geminæ ſunt, & altera alteri oblique ſuper injecta eſt: igitur cum illarum connexio ſolvitur, interior tunica ſecundum longitudinem abſcedens foras exit, exterior ſola manet, & carnoſa efficitur, & cicatrice ſolidatur, ſaneſcuntque homines & noxa ſoluti vivunt: id vero inferius inteſtinum ſolum patitur; in cauſa eſt tunicarum carnoſa ſubſtantia.* Similia & apud recentiores medicos habentur obſervata b), quæ confirmant *Aretæi* dicta, nam & inteſtini recti interior tunica ſeparabatur, & ægri poſtea integram ſanitatem recuperabant. Interim tamen idem per totum inteſtinorum tractum contingere poſſe, videtur admodum veroſimile, licet tunc rarius membranam integram cavam referat, ſed ſæpe informis muci ſpecie appareat, dum alvo excernitur. Verum ſi talis mucus in aqua pura reponatur, tunc manifeſte apparet ſtructura membranoſa & vaſculoſa fabrica. Vidit in cadavere phthiſici, qui & fiſtula ani la-

boraverat, *Cel- Simſon* c) villoſam tunicam in- teſtinorum plurimis in locis deeſſe, & abra- ſas partes copioſas in inteſtinorum cavo repe- riebat. Verum jam diu ante mortem miſer ille homo nullos ſolidos cibos ferre potuerat, ob moleſtiam, quam inde percipiebat in ven- triculo & inteſtinis, & tribus ſeptimanis ante mortem ſolam tantum aquam parciſſima copia ſimul deglutitam ferre poterat. Pluribus aliis obſervatis ibidem probatur, tunicam internam inteſtinorum ſatis levibus de cauſis ſecedere poſſe, & iterum renaſci; nam & a fæcibus durioribus, per craſſa inteſtina propulſis, quandoque illam deterri obſervatum fuit; & in dyſenteriam paſſis diuturnam magna copia talis muci ſeceſſit, licet poſtea integra ſani- tate fruerentur.

a) De cauſis & ſig. morb. diut. L. II. Cap. IX. p. 61.

b) Tulp. obſerv. medic. Lib. III. cap. XVII. An- ton. Benevoli obſerv. 19. p. 150.

c) Medical Eſſays Tom. V. part. 2. p. 655. &c.

Ubi ſigna docent, abſceſſum talem fieri in inteſtinis, omnia illa facienda ſunt, quæ antea dicta fuerunt. Maturatio ergo crudi

in-

inflammatorii promovenda eſt, & cum exitus puri jam facto commodiſſimus ſit ille, quo in inteſtinorum cavum venit, ut per alvum exeat, hinc clysmata ex decocto herbarum emollientium ſæpius injecta, & ſimilia decocta potata proderunt, ut interna inteſtinorum ſuperficies laxetur & emolliatur. Ubi autem ex levamine doloris, & pure per alvum prodeunte, novimus abſceſſum ruptum eſſe, tunc infuſis herbarum vulnerariarum, agrimoniæ, veronicæ, virgæ aureæ, hyperici & ſimilium, addito melle, leviter detergimus locum ulceroſum, ut ad conditionem puri vulneris, & ſic ad conſolidationem diſponatur. Omnium autem maxime hic cavendum eſt, ne talia ingerantur titulo cibi & potus, quæ acria ſunt, vel in calore corporis noſtri cito in acrem indolem degenerare poſſunt: uti etiam cavenda ſunt omnia, quæ craſſas fæces producunt. Optimum ergo eſt ſolo jure carnium uti; hoc enim vires ſuſtinere poterit ſatis, nec ullam fere craſſam materiam in inteſtinis relinquit. Ob eandem cauſam & ſerum lactis, ab omni caſeo bene depuratum prodeſt; lac autem non conducit, quia & cito aceſcit, & craſſas copioſas fæces in inteſtinis producit, uti manifeſte apparet in infan-

ti-

tibus ſolo lacte materno viventibus. Juſculis carnium jam radices ſcorzoneræ, ſiſari, cichorei, & ſimilis incoqui poterunt: ſed tunc percolanda ſunt hæc juſcula, ne aliquid craſſi per inteſtina tranſeat, antequam ulcus ſanatum fuerit. Copioſus autem uſus infuſorum vulnerariorum, ſeri lactis recentis, aquarum medicatarum conducit, ut eluatur de ſanguine quidquid de pure hic collecto reſorptum fuerit, ſimulque diluantur omnes humores, qui in inteſtina derivantur, imprimis bilis, ne irritare ulcus valeant. Simul etiam aquæ minerales ferratæ, ubi ulcus jam purum fuerit, leniter adſtringendo cicatrizationem loci affecti promovebunt. Ubi jam per aliquot dies nullum pus exire obſervatur per alvum, nullusque dolor in abdomine ſupereſt, tunc ſenſim ſolidiores cibi dari poterunt, ex hordeo, oryza, pane, carnibus juniorum animalium &c. donec tandem ad conſuetum in ſanitate victum perveniatur.

Gangræna inteſtinorum.

Si dolor acerrimus, uno in loco fixus manens adfuerit, febris valida, alvus pertinaciſſime clauſa, omnia ingeſta vomitu rejiciantur,

tur, medela in initio morbi neglecta fuerit, vel absque ullo levamine adhibita, tunc novimus, talem intestinorum inflammationem in gangrænam tendere.

Dolor enim acerbissimus, alvi pertinacissima constipatio, pessimam intestinorum inflammationem comitari solent: dum vero morbus ille in perniciem tendit inevitabilem, & dolor cessat, & alvus plerumque solvitur, unde adstantes, & quandoque medici, ægrum in vado esse credunt, dum paulo post moritur. Verum facies cadaverosa, plumbeus labiorum color, extremorum frigus, anxietas, abdomen plerumque inflatum, pulsus celerrimus & debilis, perito medico certissima signa exhibent instantis mortis. Unde merito *Hippocrates* a) dixit: *A dolore vehementi partium circa ventrem, extremorum refrigeratio, malum*. Ubi enim gangræna partem inflammatam occupat, dolor cessat, & pars antea densa & dura flavescit, hinc sæpe restituitur liber transitus ad anum usque, per gangrænam natam jam tabescente intestino. Verum exercitatissimi medici tunc semper pessima metuebant, dum cum talibus signis alvus antea clausa solveretur. Sic *Baglivius* b) sequens axioma practicum statuit: *Gravi iliaco si su-*

per-

perveniat, alvi fluxus, paucis post horis morietur, nam sphacelata sunt omnia, hinc lethalis fluxus. Et si iliaco tumor ventris veniat, & flatus copiosi pendendo exeant, brevi morietur. Confirmavit eandem rem & suis observatis *Tulpius* c), & alii plures.

a) Aphor. 26. Sect. VII. Chart. Tom. IX. p. 304.
b) Praxis med. Lib. I. p. 110.
c) Observat. med. Lib. II. Cap. XLI. p. 161.

Sed & mirus casus docuit fœculentam materiam, rupto intestino volvulo occlusis retentam, rupto intestino in abdominis cavum exivisse, & deinde mora partem intestini recti corrupisse, ita ut foramen ibi in cadavere inventum fuerit, per quod fæces illæ ingressæ per anum exire potuerint: sed lethali pariter cum eventu, licet morbus diutius protraheretur, nam ad decimum tertium diem usque æger, volvulo triplici in intestino ita laborans, vitam protraxit; quod raro fieri solet. a)

a) River. Observat. Cent. 3. Observat. 26. p. 63.

Illa autem, quæ in iliacis desperatis ante mortem per alvum exexunt, olidissima sunt, par-

tim ob retentam diu in inteftinis materiam, febrili æftu magis etiam putrefactam; partim etiam, quia gangrænofarum partium jam diffluentium tabus corruptus fimul exit. Solet plerumque & abfque ægrorum fenfu tunc alvus evacuari, qualem alvi dejectionem ut lethalem damnavit *Hippocrates*.

Omnis medela malo huic tollendo impar.

Scirrhus inteftinorum.

Ubi figna docuerint inflammationem adeffe, neque tamen adeo validam, ut peffima fymptomata ilico producat, diu tamen maneat morbus; fenfim quidem levatus, fed tamen aliqua femper priftini mali veftigia fuperfint, vel per intervalla recrudefcant, licet leviora, imprimis poft cibum copiofiorem, vel difficilioris digeftionis affumptum; nulla quoque indicia fuerint fuppurationis hic natæ; tunc merito fufpicari fcirrhum licet, qui conftantem moleftiam faciet, licet non adeo magnam, fi minoris molis fuerit. Gravitatis & diftractionis quidem fenfus tunc folet percipi, imprimis quando faltant, vel de gradibus celeriter defcendunt. Tactu externo raro percipi poteft, nifi in macilentis hominibus, & ne

qui-

quidem tunc, nisi in magnam satis molem increverit. Verum antequam talem magnitudinem habuerit plurima jam mala producit, quæ & scirrhi effecta sunt, & simul ejus præsentis signa dant.

Quamdiu scirrhus in cancrosam malignitatem nondum degenerat, tumor durus & indolens est, adeoque facile toleratur: verum nocere hic potest insigniter arctando intestini cavum, imo quandoque illud totum occludendo, dum auctus mole omnia vicina comprimit: *Hollerius* a) observavit, intestinum colon, qua parte reni vicinum est, collecta velut cartilagine dura in scirrhum obduruisse; intercepta omnino interiori cavitate: in parte dextra colon amplissimum erat: post longa multorum annorum tormina defecit æger. *Ruyschius* invenit b) intestinum rectum adeo ingrassatum, ut pollicis crassitiem fere superaret; & ita induratum, ut anceps hæreret, an cartilaginem dicere deberet illam substantiam. Cavitas autem intestini straminis latitudinem haud superabat, & adeo firmiter accreverat ossi sacro, ut cuneo & malleo separare debuerit. Similem alium casum & ibi recenset indurati in scirrhum intestini. Vidit *Swietenius* nobilem matronam, jam septuagenariam

fe-

fere, quæ raro admodum alvum deponebat, licet appetitu valens ſatis comederet: ſexto, ſeptimo, quandoque & octavo die oriebatur magna anxietas, dolor abdominis, & dein vomitu rejiciebat copioſam ſaburram, quæ cibi toto hoc tempore comeſti reliquias manifeſte oſtendebat. Hoc facto, appetitu valebat ut ante, & optime ſe habebat, donec ſimili periodo eadem mala redirent. Toleravit autem has moleſtias per duodecim annos. Quamvis autem cadaver defunctæ inſpicere non licuerit, juſta ſuſpicio ſimilis cauſæ in hoc morbo videtur, & poſtea aliquot ſimiles caſus in praxi vidit. Quamdiu vero ſcirrhus benignus eſt, dolores non ſunt aſſidui, ſed per intervalla tantum recrudeſcunt; & in talis morbi initio tantam moleſtiam percipiunt, ubi duriores vel copioſiores cibos ingurgitaverunt, poſtea, aucta ſcirrhi magnitudine, frequentius eadem mala redeunt.

a) De morb. intern. L. I. Cap. XLI. p. 325.

b) Obſerv. anat. chirurg. obſ. 95. 96. p. 88.

Patet autem ſatis, ingeſta, impedito libero tranſitu, hic accumulata, diſtendendo inteſtina, dolorem facere poſſe; ubi etiam dum

dum mora corrumpuntur & acria facta irritant has partes. Simul etiam intelligitur, tanto diutius absque jactura virium ferri posse tale malum, quo scirrhus hæserit in loco magis distanti a pyloro & contra. Tandem toties distractis per accumulatam materiam intestinis perit, vel maxime saltem debilitatur illorum actio in ingesta, debita resorptio chyli impeditur: unde tandem atrophia, & mors: nisi scirrhus, in cancrum degenerans, aut nova inflammatio intestinorum a compressione aut distractione nata, citius morbo finem fecerit.

Quam difficile sit scirrhum curare etiam in illis locis, ubi manubus accessus datur, ubi fomenta suffimigia &c. directe loco affecto applicari possunt notum est, unde facile patet, parum hic sperandum esse, a remediis etiam decantatissimis. Si enim incipiens hic nasci scirrhus tepore blando corporis interni, saliva, succo pancreatico bile utraque huc derivatis continuo, agitatione perpetua per motum diaphragmatis & musculorum abdominalium, resolvi non poterit, quid sperandum erit a remediis! Chemici quidem jactaverunt se posse arcanis suis scirrhos dissolvere, sed experimentum artis suæ incassum fecerunt in scirr-

his

his partium externarum. Hinc nihil supereſt, niſi ut tolerabile reddatur malum, quod tolli nequit. Verum ſcirrhus inteſtinorum imprimis ideo moleſtus eſt, quia arctando inteſtinum contentis præcludit liberam viam; hinc ſi dilutiſſima tantum ſumantur & mollisſima alimenta, hoc præcavetur.

Si per ſigna ante enumerata ſcirrhum adeſſe cognoſcitur, nihil ſupereſt, niſi ut vitentur omnia, quæ ſcirrhum in cancrum convertere poſſunt. Solent autem ſæpe ægri, gravans illud pondus in abdomine dudum jam experti, urgere medicos, ut purgantibus datis expellatur illud moleſtum; & dum prudentiores medici illis morem gerere nolunt, ad obvias quosvis agyrtas confugiunt, qui acerrimis ſolent uti purgantibus, uti & emeticis violentiſſimis; tuncque per uſum horum remediorum idem fit, ac ſi quis ſcirrhum jam antiquum, & brevi cancroſum futurum, manubus rudiſſime perfricaret. Ubi tale malum jam adeſt, ſatis patet, nullam ſupereſſe medelam, ſolam curam palliativam locum habere, quæ mitigando ſymptomata morbum lenit. Omnia ergo, quæ ingeruntur, adeo blanda eſſe debent, ut oculo inſtillata nullum dolorem facerent; ſimulque talia, ut calore

cor-

corporis non facile degenerant in acrimoniam etiam leviſſimam. Aqua pura optima foret pro potu, vel & ſerum lactis tenuiſſimum & recens; dumque illo utuntur tales ægri, ſubinde acidum abſorbentia, in tenuiſſimum pollinem trita, dare convenit, ut ſi forte illud aceſcere inciperet in primis viis, ſtatim enervaretur hæc acrimonia. Vitellus ovi, qui crudo vulneri, ſi illinatur, nullum dolorem excitat, una cum carnium juſculis & farinoſis moliſſimis pariter ob eandem rationem conveniunt. Ut autem acer ichor in inteſtina depluens enervetur, clysmata moliſſima una cum anodynis injiciuntur, ſic enim & diluitur illa acrimonia, & inteſtinorum latera blanda tali mucagine obducta defenduntur. Interno uſu ſimilia conveniunt, additis opiatis, ut ſævus dolor leniatur.

Colloraria practica.

1.) Omnes, qui in luculenta praxi verſantur, noverunt, toties occurrere difficillima illa mala, quæ ægris moleſtiam ſummam, medicis tædium parant, dum diverſis metho-

dis

dis tentantes hos morbos nihil proficiunt. Ubi de angina ſcirrhoſa agebatur, patuit, œſophagum ſcirrhoſum redditum, vel & à vicinis tumoribus ſimilibus compreſſum, ſenſim ſic anguſtari, ut tandem nihil cibi vel potus transmittere poſſit, ſicque lenta, & miſerrima mors ſequatur.

Frequenter ſatis occurrunt cardialgiæ moleſtiſſimæ, ad omnia remedia rebelles, lenientibus ſolis aliquod levamen præbentibus. Miram autem diverſitatem in his doloribus practica obſervata docuerunt. Vidit *Swietenius*, qui commode ſe haberent ventriculo vacuo, ſed una alterave hora poſt paſtum torquebantur per tres, quatuorve horas; dein iterum ceſſabat dolor, vel ſaltem minuebatur multum. E contra alios novit ægros, qui vacuo ventriculo ſe pejus habebant. Vidit mulieres, quæ peſſima cardialgia quotidie fere corripiebantur, ubi vero gravidis diſtendi inciperet abdomen, liberæ erant ab hoc dolore, qui poſt puerperium redibat denuo. Verum notum eſt, ventriculum mutare ſitum ſuum dum plenus eſt, & in gravida pleraque viſcera abdominalia ab utero tumente moventur loco. An tunc tumor talis ſcirrhoſus pondere ſuo minus premit vel diſtrahit par-

tes vicinas, vel illas, quibus cohæret, dum ab utero aſſurgente ſuſtinetur, & ſimile quid contingit in quibusdam ventriculo repleto? Forte illud non penitus improbabile videbitur. Si vero conſideremus illa, quæ cadaverum ſectiones docuerunt, invenimus ſcirrhoſos tumores, ulcera cancroſa pertinaciſſimorum talium dolorum cauſas fuiſſe. In cadavere hominis, qui per ſex fere annos dolore cardiæ laboraverat, inveniebatur tumor ingens, magnam partem cavi thoracis implens, una cum œſophago tranſiens per diaphragma; & pone partem poſteriorem ventriculi porrectus ad pylorum usque, utrumque ventriculi orificium comprimens. Adeo autem durus erat ille tumor, ut cutello vix diſcindi potuerit. a) In cadavere phthiſici juvenis, qui inſigni ardore ſupra ſiniſtrum ventriculi orificium, omnia remedia eludente, laboraverat, invenit *Cel. Heiſterus* b) in œſophago duos pollices ſupra diaphragma foramen pollicis latitudine, oris nigricantibus undique cinctum. Hinc ſimilia in ſcirrhi hiſtoria habentur. Verum & illa, quæ de morbis inflammatoriis viſcerum hactenus dicta ſunt, demonſtrant, & in his ſcirrhos naſci: ideoque merito peritos medicos in doloribus chroni-

cis

cis abdominalibus talem caufam fufpicari, & cavere ne imprudenti medela exafperent hos morbos.

a) Medical Effays Vol. 2. Nro. 36. p. 356.
b) Acta phyfico medica acad. nat. cur. Tom. I. p. 392.

2. *Sydenhamus* tunc tantum iliacam paffionem proprie vocandam effe voluit, ubi a tumultuante febre in ventriculum & inteftina proxima deponerentur acres humores: quando autem a fæcibus induratis, aliisve fimilibus caufis ortum duceret morbus, tunc affectionem iliacam notham dixit. *Hippocrates* & *Galenus* ileum vocaverunt inteftinorum inflammationem, quæ ita claudit cavum, ut nihil transmitti poffit, adeoque hæc definitio potius retinenda videtur. Hæc jam obturatio tubi inteftinalis poterit fieri vel ab ipfa fabrica inteftini tumente; vel a tumore quocumque latera inteftini comprimente; vel & a materia immeabili in cavo inteftini collecta; fi tunc in tali cafu inflammatio accedat, morbus vocabitur ileus.

Tumores inflammatorios, fuppuratorios, fcirrhofos, cartilagineas indurationes inteftino-

norum, hunc morbum producere poſſe ſatis conſtat ex illis, quæ hactenus dicta ſunt. Verum & diverſa materia inteſtinis infarcta deprehenſa fuit. In quibusdam hominibus, ſedentariam vitam agentibus, & craſſa edulia non facile ſubigenda ingerentibus imprimis ſi interior ſimul bilis fuerit in inteſtino duodeno, quod ſatis contractum eſt, & valvulas copioſas habet, accumulatur talis materies, quæ expreſſo liquido, indureſcit, obturat inteſtini cavum, & dein ileum producit, qualem caſum vidit *Swietenius*. Vidit in virgine, quæ pruna copioſa comederat, ſimulque omnia oſſicula degluiverat, hunc morbum natum fuiſſe; a quo tamen feliciter evaſit, per alvum excreta incredibili copia horum. Similis caſus & apud *Bonetum* a) legitur, ſed infauſti eventus: ibi enim ceraſorum & prunorum nuclei, imprudenter degluititi, poſt ſummas miſerias integro triennio toleratas, mortem fecerant. In puella duodecim annorum deglutitum pruni oſſiculum, cruſta calculoſa obductum, ano excretum fuit poſt ſexennium, poſtquam pariter graves & diuturnas moleſtias produxerat b), & dolores coli eos acerrimos. Verum hæc obſtacula in inteſtinis nata ab ingeſtis pendebant. Sed & mu-

mucus, naturaliter obducens intestinorum latera, collectus inspissatus, intestini cavum obturare potuit. Hoc tamen videtur constare practicis experimentis, talia obstacula, in crassis intestinis haerentia, diutius tolerari, quam si in tenuibus eadem forent; neque ileum producere, nisi inflammatio accesserit.

a) Sepulchr. sive an. pr. Libr. III. Sect. XIV. obs. 17. p. 222.

b) Med. Essays T. I. Nro. 32. p. 301.

3.) Diversa esse debet curatio dysenteriae, pro varia febre principis, quae hunc alvi fluxum comitatur; patet id optime ex comparatione dysenteriarum quatuor aestatum, quam *Stollius* instituit a). Hinc nullum datur specificum antidysentericum, & male eandem in omni dysenteria medendi rationem ii sequuntur, quibus *nomina* pro rebus sunt b). Sanguinis evacuatio, & emollientium remediorum usus in dysenteria inflammatoria conveniunt, & purgantia in hoc morbi specie summopere nocent. Infantes ob excessum irritabilitatis pessime mulctantur ab hoc morbo, & convulsi pereunt.

a) Stoll. rat. medend. T. III. p. 337.

b) Idem l. c. p. 350.

4. Omni ferme colicæ, ex quacunque demum caufa ortæ, fi diutius duret, inflammatio tandem jungitur; hinc eximius in omne tali dolore colico emollientium ufus.

5. In omni colica, alvo fimul occlufa, de hernia incarcerata quærendum; fæpe enim vel ipfe æger de hac caufa omnino non cogitat.

6. Symptomata faburralia, a folo ftimulo inflammatorio inteftinum occupante excitata medicis fæpe fub fpecie colicæ biliofæ imponunt. Ab eodem ftimulo inflammante diarrhϾ fymptomaticæ in febribus acutis oriuntur, venæ fectionibus tollendæ. At fi valida nimis inteftinorum inflammatio fit, alvus non liquida, fed obftructa erit.

7. Hernia incarcerata dum recens, & parva eft, felici cum fucceffu reponitur, ægro aut in balneo fedente, aut abdomine fomentis emollientibus continuo foto, crebris interim tentaminibus herniam reponendi adhibitis; diu autem protrahenda eft hæc methodus, repofitione etiam facta, ut inflammatio inteftini prævertatur. Hanc herniam reponendi methodum optime expofuit *Illuftriff. Richter.* a)

a) Richter, Abhandlung von den Brüchen. Göttingen 1786.

8. Purgantia, opiata, fumus nicotianæ, argentum vivum deglutitum, ileum, cum inflammationem plerumque junctam habet, augent, atque tunc tantum profunt, fi a caufis lentis, frigidis affectus hic oriatur.

9. In febribus putridis non raro fepticæ inteftinorum inflammationes oriuntur, non alio modo animadvertendæ, quam abdominis exploratione; quamprimum enim venter manu exploratur, ægri, etfi ftupidi jaceant, doloris fenfum edunt.

10. Totum quandoque abdomen in enteritide intumefcit, Male autem huic tumori purgantia adhibentur, cum ab inflammatorio vitio pendet.

11. Pulfus in enteritide fæpe fallaciffimus; mollis enim, & parvus, cum tamen venter fummo dolore afficiatur. Peffime tunc de erigendis vitæ viribus confilium capitur; cum inflammatio calefaciente remediorum apparatu augetur, & gangræna acceleratur.

12. In putridiffima fæpe febre fecundariæ vifcerum inflammationes oriuntur, & cognitu, & fanatu difficiles.

13. In eclampsia infantum colicis doloribus superveniente, fotus potusque emollientes stimulum quemcunque tenellis atque summe irritabilibus intestinis applicatum, inefficacem reddunt; cum dolor a remediis alvum moventibus, & calefacientibus exacerbatur.

NEPHRITIS.

Signa nephritidis.

Signa ergo diagnostica, quæ morbum hunc adesse docent, petuntur.

1. Ex dolore ardente, pungente, magno inflammatorio, loci, ubi renes siti sunt. Locus autem, quem occupant renes, invenitur facile: versus lumbos enim ponuntur ad trium digitorum transversorum distantiam a spina dorsi, ita ut renum summa pars tertiam costam ab inferioribus numerando, tangat circiter. Unde dolor a renibus inflammatis præcipue sentitur circa posteriorem & lateralem abdominis partem: quæ ultimis costis & ossi ilio interjacet. Febris autem acuta continua inflammationes, imprimis internarum corporis partium, comitari solet semper, uti antea probatum fuit.

2.

2. Ex urina pauca &c. Cum renes secretioni urinæ ab arteriofo fanguine per arterias emulgentes allato dicati fint, neceffario per inflammationem debet illorum functio lædi. Tumenti enim vafa inflammata minores fecretorias fiftulas comprimunt, adeoque fecreti liquidi copiam minuunt; cum autem ob febrim acutam comitem fimul acrior reddatur urina, frequentem urinæ comittendæ ftimulum fentient ægri, licet parum in vefica contineatur. Ubi autem adeo infarcta vel compreffa funt omnia vafa, ut liquidiffimam tantum humorum partem transmittere poffint, tunc tenuis & aquofa prodit urina, licet febre acuta valide agitentur humores, adeoque fales & olea fanguinis acriora fiant. Mala tunc merito damnatur talis urina, & ut fignum & ut caufa. Ut fignum, quia notat validam inflammationem adeffe per totam renum fubftantiam; ut caufa vero, quia omnia acria, per urinam naturali lege de corpore eliminanda, retinentur, & diluens fanguinis, ad renes appulfi, vehiculum a reliquis partibus fecedens facit, ut inflammatoria denfitas in fanguine augeatur.

3. Stupore crucis vicini &c. Cum renes proprie non hæreant in cavo abdominis, renes pe-

peritonæo ipſis incumbente tegantur, concipimus ſatis, quod ab illis tumore inflammatorio diſtentis, multæ partes vicinæ poſſint comprimi, & irritari: cum autem peritonæum ſupra renes expanſum impediat utcumque, ne tam facile contenta in cavo abdominis viſcera a tumentibus renibus poſſint premi, preſſio illa magis aget in illas partes vicinas renibus, quæ pariter ſub peritonæo hærent, cavo abdominis excluſa. Verum & muſculi pſoas, & vaſa magna ſanguinea, & nervi plures verſus femur tendentes, hic locantur a); & vaſa ſpermatica ſatis vicina renibus decurrunt b); unde quodammodo intelligimus, quare ſymptomata hic enumerata ab inflammatis renibus produci poſſint. Præterea novimus per obſervata practica certiſſima, quandoque ſymptomata morboſa in quibusdam corporis partibus apparere, dum illorum cauſa in disſito longe loco hæret. Utile ergo erit medico, talis ſigna diagnoſtica morbi præſentis noviſſe, licet etiam non adeo evidenter intelligat modum, quo producantur. Interim tamen notari meretur, quod hæc ſymptomata nephritidem calculoſam frequentius comitentur, quam quidem nephritidem inflammatoriam; nam illam aliquoties curandam habuit

Swiet.

Swiet. absque eo quod ægri de ſtupore cruris dolore inguinis vel teſtis conquerentur. Quin imo, dum in nephritide calculoſa per ureterem protruditur calculus, eadem hæc ſymptomata ſæpe, ſed non ſemper, adſunt. *Piſo* c), hunc morbum paſſus, revulſionem teſticuli ejusdem lateris, ſtranguriam, vel ſaltem pruritum in glande, & frequentem mictionem, tum ſtuporem quendam ſive tremorem crucis reſpondentis, denique & frigus partium extremarum ſe percepiſſe affirmat. Verum his ſic recenſitis ſubjungit ſequentia; *Quæ ſane ſymptomata, tametſi non perpetua in omnibus, tamen ſemper in me ſum expertus, ſed in deſcenſu per ureterem lapilli, quo tempore ſcilicet maxima eſt ureterum in ſe contractio.* Si ureterum decurſus reſpectu vaſorum ſpermaticorum & illiacorum conſideretur in tabulis *Euſtachianis* d), apparebit facile, calculum per ureterem deſcendentem hæc vaſa premere & irritare poſſe; uti & vas deferens, quod a teſte ad veſiculas ſeminales aſcendit.

a) Vide tab. XIX. Euſtachii.
b) Vide tab. XXV. Euſtachii.

c) De morbis a colluvie ferosa Sect. IV. Cap. II. p. 301.

d) Tab. XII. fig. 1. & 3. & Tab. XXV.

4. Dolore iliaco &c. Imprimis si morbus admodum vehemens fuerit tunc enim irritatis nervis omnibus per abdominalia viscera dispersis, pessima symptomata nascuntur.

Hæc est ratio, quare *Galenus* dixerit, colicos iliacosque dolores difficulter distingui a nephriticis malis; verum hoc parum damni afferre ægris, cum in initio hi morbi eadem medela indigeant, uti postea ex curatione nephritidis patebit. Eandem difficultatem & *Aegineta* a) agnovit, præcipue ubi a calculo renali, moto in pelvim & ureteris angustiam hic morbus fit; tunc enim subita & vehemens irritatio omnium nervorum abdominalium sequitur. Verum in nephritide inflammatoria incipiente raro ilico omnia hæc symptomata adsunt; sed morbo aucto, succedere solent: unde dolor ardens, inflammatorius, loci, ubi renes siti sunt, una cum urinæ difficultate, dabunt illa signa, per quæ hic morbus a colicis & iliacis doloribus distingui poterit: uti etiam quod alvus raro in nephritide adeo pertinaciter clausa, sed clysmatibus emollientibus obediat facile.

a)

a) Lib. III. Cap. XLV. p. 46 & 46 versa.

Renum autem affectorum signa diagnostica satis bene *Celsus* a) collegit: *Si dolent coxae, quaeque inter hos superque pubem sunt, & accedunt frequentes ructus, interdum vomitus biliosus extremaeque partes frigescunt, urinae crebra cupiditas, sed magna difficultas est, & quod inde excretum est, aquae simile, vel rufum; vel pallidum est, paulum tamen in eo levamenti est, alvus vero cum multo spiritu redditur, utique in renibus vitium est.*

a) Lib. II. Cap. VII. p. 60. 61.

Causae nephritidis.

Causarum, quae excitandae nephritidi idoneae sunt, quadruplex classis a *Boerhaavio* constituitur:

I. Classis causarum continet omnia illa, quae fines arteriae ad transmittendum impediunt, quorsum vulnus, abscessus, contusio, tumor partium vicinarum pertinet. Huc etiam pertinet decubitus diuturnus. Hinc podagricos fere omnes renum calculis obnoxios fieri testatur *Sydenhamus*; & idem malum nasci ob-

ser-

servatum fuit in illis, qui nunquam antea nephriticis malis vexati, diu decumbere cogebantur ob fracturam cruris vel femoris, imprimis si obesi erant; tunc enim a toto pondere pinguis abdominis renes & ureteres comprimuntur, dum dorso diu coguntur incumbere. Ad eas causas etiam calculus renum pertinet; quatenus vel asperitate sua irritat, & lædit renes, vel mole premit vicina ipsi vasa; de calculo vero postea sermo erit.

II. Classis comprehendit easdem nunc enumeratas causas, quatenus humorum transitum per renes impediunt.

III. Vehemens humorum motus versus systema uropoieticum. Equitatio diuturna & vehemens non raro inflammationem renum producit. *Swietenius* aliquoties ab equitatione vehementi vidit mictum sanguinis, & quidem tanta copia, ut vitæ periculum a vasorum inanitione immineret: dilatantur enim tandem adeo fistulæ renales, ut ipsum sanguinem transmittant. Habuit talem ægrum curandum, qui tota vita validissimis equitationibus usus fuit, mira in arte equestri peritia equos coercere novit, & ad fræna patienda dociles reddere; illi frequens talis sanguinis copiosi mictus, absque ullo dolore, unde totus pallidus &

ex-

exhaustus lanquebat; simulac vero cessat malum, & vires renasci incipiunt, denuo equitationi indulgebat', sicque eidem se periculo exponebat, nimis audax ideo, quod toties jam evaserit. Huc etiam pertinent acria diuretica; præcipue cantharides in gonorrhæa, aut scopo aphrodisiaco exhibitæ. Et Arsenicum similem labem producere, expertus est *Tachenius* a). Ille enim arsenicum repetitis sublimationibus fixum reddere tentans, post multas sublimationes, dum vas chemicum recluderet, sensit suavissimum inde exsurgere halitum, quem inspiravit incautus; verum post horæ dimidium inter alia pessima symptomata, & sanguinem minxit cum ardore intolerabili.

IV. Classis causarum spasmi sunt, a calculo præcipue excitati. Contingit aliquando, asperum, nec magnum tamen calculum in pelvi, vel ureteri alterutro hærentem, ita irritare sensilissimas has partes, ut uterque ren spasmodice constrictus sit adeo, ut nihil urinæ in vesicam demittat. Quandoque tamen *Swietenius* ischuriam observavit in illis, quibus prima vice calculus a rene per ureterem descendebat in vesicam, licet nulla suspicio foret in alterutro rene aliquid vitii hærere:

si,

ſimul ac autem, calculo in veſicum delapſo; acerrimi illi dolores nephritici ſedabantur, urina poſt paucas horas prodibat copioſa. Calculus vero, poſt aliquot dies cum urina expulſus aſper quidem erat, ſed mole adeo parvus, ut vix videretur credibile, ureterem a tali calculo obturari potuiſſe, neque patebat ulla alia ratio, quare urinæ ſecretio per alterum renem fieri non potuerit, niſi hoc conſtrictioni ſpasmodicæ vaſorum renalium ob acerrimum dolorem adſcriberetur. Sequens obſervatio practica, *Paul. de Wind* confirmat ulterius modo dicta. Mulieri poſt partum felicem, lochiis debito modo prodeuntibus, ſupprimebatur omnino urinæ excretio. Nullus autem teneſmus urinæ reddendæ aderat, nec tumebat veſica: levem tantum dolorem in ſiniſtro abdominis latere percipiebat. Variis fruſtra tentatis, quinto a partu die catheter in veſicam immitebatur, absque ulla evacuatione urinæ. Die ſequenti vomitus continuus fere ortus fuit, & quamvis lochia fluere pergerent, & nulla febris adeſſet, periit undecima poſt partum die; totaque hoc tempore bis tantum paucas urinæ guttas excreverat ægra. Aperto cadavere nullum vitium in utero, veſica, ureteribus, inventum fuit,

uti

uti nec in visceribus abdominalibus; verum utrique renes apparebant inflammati, neque tamen tumebant præternaturaliter. In sinistro rene inveniebatur asper calculus, pisum magnitudine æquans. Admodum verosimile videtur, ultimis illis parturientis nixibus calculum asperum reni valide impactum fuisse, unde spasmodica contractione utriusque renis vasa sic constricta fuerint, ut impediretur omnis urinæ secretio ad mortem usque.

Facilis nunc est explicatio effectuum, quos inflammatio in renibus excitata producit. Vasa immeabili sanguine repleta vicina minora comprimunt, vel si quod adhuc transprimitur per vasa minora, illud mere aquosum & tenue est. Unde *Aretæus* a) nihil magis timuit in renum acutis morbis, quam urinæ interceptionem, illos celerrime perire dixit, qui nihil omnino emittunt, notatque tremores, convulsiones, distentiones sequi urinæ ab hac causa retentionem; uti etiam somni interrupti, & cum terrore e somno evigilationes, delirium, sopor profundus, ibidem inter symptomata hujus morbi enumerantur. Doluit *Hildanus* b) primogenitum filium septenem sic periisse: corripiebatur enim dolore lumborum cum febre, & urinæ

sup-

ſuppreſſione; & licet plures medici omnem operam adhiberent, ſeptima morbi die moriebatur. In cadavere autem inſigne renum & vicinarum partium inflammatio, jam gangræenoſa reddita inveniebatur.

a) Aretæus de cauſ. & ſign. morb. L. II. c. IX.
b) Hildanus de lithotomia. p. 749.

A renibus inflammatis varia ſymptomata quandoque producuntur in aliis partibus corporis, licet cauſa mala in ſolis renibus hæreat, atque ideo ſæpe turbant diagnoſin hujus morbi, cum tot aliæ partes in ſuis functionibus lædantur.

Nunquam evidentius hoc apparet, quam dum calculus a rene per ureterem in veſicam tranſit, & ob molem vel aſperitatem in hoc tranſitu ſenſiles illas partes irritat. Symptomata enim hic enumerata fere omnia tunc obſervantur, & quandoque etiam exercitatos in praxi viros fallunt, ſi æger primo calculoſæ nephritidis inſultu laboraverit. Error autem hic in diagnoſi raro ullum damnum adfert, cum cura antiphlogiſtica, & emollientiſſima remedia, potata vel per clysmata injecta, æque proſint nephriticis quam ileo laboranti-

ti-

tibus, uti jam antea dictum fuit. Interim tamen prudens medicus, hujus difficultatis gnarus, non temere definiet morbi speciem; præcipue si attendat, & intestinorum morbos quandoque irritatis nervis cohærentibus & vicinis, stipati talibus symptomatibus, quæ docere videntur, quod in renibus aut vesica malum lateat. Monuit hoc *Aretæus*, ubi de colicis agit a). Dicit enim: *si in colicis reni & vesica in partem hujus doloris adducuntur, ischuria fit. Istis alia pro aliis accedunt. Miraculum autem his majus est, quod in testes & cremasteres inopinatus dolor invadit. Multos medicorum hæc communicatio morbi latet: siquidem nonnunquam & cremasteres exsecuerunt, propriam morbi causam eos continere opinati; quo circa & his pro aliis alia fiunt.* Imo quandoque post symptomata, quæ renes aut vesicam laborare docent, sequitur ileus, & quidem lethalis, uti videtur indicare *Hippocrates* b) dicens: Quibus ex stranguria volvulus succedit, intra septem dies intereunt, nisi oborta febre copiosa urina effluat. Talem casum vidit *Swietenius*, qui adamussim respondebat huic aphorismo, ubi æger strangu-ria laborans, dein iliaco dolore correptus, febre nata, quæ prius vix aderat, affatim uri-

urinam emisit, & evasit. Mira observatio apud *Jacotium* legitur c) ubi in corde & thorace morbosa caussa inveniebatur, una cum symptomatibus nephritidis. Ita autem habet: *Ac certe vidimus in doctore Arelatensi urinæ difficultatem cum maximo renum dolore, & arenulis rubentibus, cujus dissecto cadavere renes integri inventi sunt, sed in thorace hydrops, & concretus in corde lapis.* Plurima certe alia observantur in corpore humano, quæ docent, quibusdam partibus irritatis, motus fieri validissimos in aliis, per quos illud irritans vel gravans tolli posset. Dum in puerperio uteri os a tumentibus aquis vel capite infantis incipit dilatari, dolores fiunt in lumbis, spasmi validi musculorum abdominalium, aucti magis magisque, prout aperitur os uteri. Tandem fiunt in ultimo puerperii nixu summi dolores, & tam valida contractio musculorum abdominalium & diaphragmatis, ut fœtus exprimatur, quandoque soluta cohæsione ossium, quæ pelvim constituunt. Ne autem credatur, fœtum in utero hærentem motu suorum membrorum irritare vicinas partes, atque inde validissimos fieri spasmos, non vero ab irritatione orificii uterini, considerandum est, quod perita obste-

trix

trix tangens orificium uteri ibi primum signum percipiat secuturi mox doloris, & quod post puerperium a grumo sanguinis transituro per os uteri iidem dolores renoventur.

a) De caus. & sign. morbor. diuturn. Lib. II. Cap. VIII. p. 50.
b) Aphor. 44. Sect. VI. Chart. Tom. IX. pag. 276. & Coac. pranot. Nro. 475. ibid. Tom. VIII. p. 879.
c) Coac. Præsag. Hippocr. cum Commet. Holleri & Jacotii p. 824.

Exitus in sanitatem.

In sanitatem abit renum inflammatio variis modis.

1. Aliarum inflammationum lege resolutione benigna: verum ut hæc sanatio ope solius naturæ fiat, debet & illa integra esse, & morbus non adeo gravis; quod utrumque ex levitate symptomatum morbi cognosci poterit; quo plures enim functiones læsæ fuerint, & quo gravius, eo minor naturæ integritas, pejorque morbus, & contra.

2. Nephritis judicatur urina. Hæc est illa curatio, quæ quidem ope naturæ fit, non tamen per simplicem resolutionem, sed per

coctionem & excretionem materiæ morbosæ, de quo in præcedentibus morbis inflammatoriis jam aliquoties dictum fuit. Simul autem tunc apparuit, satis frequenter in morbis materiam morbosam, solutam & mobilem redditam, cum urina excerni. Verum ubi in renibus ipsis morbus hæret, facile patet, omnium commodissimam & maxime naturalem viam esse materiæ morbi soluti per ureteres in vesicam: simul enim ac materies inflammatoria fistulis renalibus impacta hærens solvitur, apta evadit, ut per illarum extrema propellatur, & in pelvim delabatur. Ideo in renum doloribus, vel calculorum, vel urinarum crassarum mictionem exspectandam esse monuit a): *renum dolor repentinus, cum urinæ suppressione, calculorum, aut urinarum crassarum mictionem significat.* In nephritide inflammatoria & illæ urinæ bonæ sunt, quæ crassæ secernuntur, licet non subsidant, vel sedimentum inæquale & divulsum habeant, quod in aliis morbis suspectum habetur. Ratio autem hæc est, quia in aliis acutis morbis materia morbi soluta, & mobilis reddita, debet per pulmones transire, sanguini misceri, & cum illo per vasa moveri, antequam ad renes venire possit: nec inte-

gra

gra illa per hanc viam exit, adeoque repetita pulmonis & vaſorum actione magis ſubigitur & levigatur, ſicque apta evadit, ut ſanguinis maſſæ permiſceatur, antequam exeat. Vidit *Swietenius* in nephritide inflammatoria optimo cum eventu excretam urinam craſſam, fuſcam, potum *caffé* dilutiorem referente, qualis urina in aliis morbis non adeo boni ominis habetur. Hinc *Hippocrates* b), poſtquam de urinis variis egiſſet, tanquam ſignis, ex quibus præſagia in morbis deduci poterant, optime monuit ſequentia: *ne vero te fallat, ſi veſica aliquo modo laborans hujusmodi urinas reddat; non enim totius corporis, ſed ipſius per ſe indicium eſt.* Facile autem patet, idem hoc monitum æque locum habere in renum morbis, a quibus directa via urina in veſicam derivatur.

a) Hippocrates Coac. prænot.
b) — — in prognoſt.

3.) Hæmorrhoidibus. Proſunt hæmorrhoides, non quatenus materiam morboſam evacuant, verum potius quatenus impetu ſanguinis in vaſa infarcta renum minuto, non adigitur tanta vi in majores vaſorum anguſtias

ſtias obſtruens materia, & ideo facilius poſtea reſolvi poteſt: *Melancbolicis & nephriticis ſuccedentes hæmorrhoides bonum* a). Et *Galenus* b) ſe obſervaſſe teſtatur, evacuatione per hæmorrhoides conſueta intempeſtive cohibita, quosdam nephritide correptos fuiſſe.

a) Hippocrat. Aph. XI. Sect. VI.
b) Galen. Comment. 5. in L. II. de alimento.

Cura nephritidis.

Ubi autem morbus gravior eſt, nec apparent illæ evacuationes, per quas obſervatio docuit, hunc morbum quandoque curari, tunc opus eſt per artem ſuccurrere:

1. Hinc primo venæ ſectiones, ſanguiſugæ ad anum.

2. Potus emollientes ex althæa &c.

3. Fomentationes ad locum affectum. Clysmata ex decoctis molliſſimis parata, quia inteſtina craſſa evacuant, ſuppoſitos colo renes fovent, laxant, emolliunt.

4. Victus leniſſimus eſſe oportet, quia acria ſanguini miſta per urinam exire ſolent pro magna parte; adeoque irritarentur ab acriori urina renes inflammati. Nocet autem le-

lecti calor renibus inflammatis, quia homini in lecto decumbenti dorſum magis caleſcit, quam reliquum corpus, a pondere preſſis his partibus; omnium maxime, ſi reſupini in dorſum decumbant, tunc enim a mole viſcerum incumbentium renes comprimuntur.

Nephritis calculoſa.

In *nephritide ſimplici* nata inflammata dolorem tanquam ſuum effectum producit. Sed in calculoſa dolor a calculo aſpero commotoque excitatus inflammationem parit; quanquam latitare per longum tempus ſine dolore calculus poſſit. Sæpius vero accidere ſolet, ut deturbatus ex rene calculus in ureterem dolores ibi exquiſitiſſimos faciat, & ſua irritatione, ſtrictura & criſpatura vaſorum inflammationem renum, ureterumque excitet.

Symptomata nephritidis tam *ſimplicis* quam *calculoſæ*, ubi hæc inflammationem ſibi junctam habet, præter illa omnibus inflammationibus communia, nauſea, vomitus, ſtupor cruris, teſticuli retractio, difficultas urinæ. Urina primum pallida, dein rubra. Difficilis vel inceſſus vel erectio corporis, facilior decubitus in latus infirmum, quam in ſanum. Tandem accedit horror totius corporis, alvi conſti-

ſtipatio, anxietas & conſtrictio præcordiorum ſumma, colica, iſchuria plenaria, convulſio, epilepſia ipſa, inter abdominabiles cruciatus.

Colica nephritica diſtinguitur ab aliis colicis aliunde ortis per hoc, quod alii dolores colici magis ad anteriora ſiti ſint, quodque in his difficultas urinæ raro, aut tarde primum adveniant, ac per intervalla tantum.

Cura omnimodo antiphlogiſtica eſſe debet in nephritide ſimplici inflammatoria. Hinc venæ ſectiones, ſanguiſugæ ad anum, clysmata emollientia, potus emollientes ex althea, &c. fomentationes ad locum affectum. Si renum inflammatio in ſuppurationem abeat, proderunt balſamica, vulneraria, aquæ martiales, &c. abſint acria, ſalſa, acidaque. Abſit & nimius motus, & decubitus mollis in affectum latus. In nephritide vero calculoſa ſive inflammatio adſit jam, ſive non, ſemper methodus antiphlogiſtica adhiberi debet. Verum cum in hac ſpecie nephritidis, dolor inflammationis cauſſa ſit, eandem præmiſſis omni modo antiphlogiſticis opio conſopire oportet, quod uti in hoc caſu indicatiſſimum eſt, ita in nephritide ſimplici inflammatoria ſummopere noceret. Peſſima autem medicamenta acria, ſub nomine remediorum calculum

pel-

pellentium adhiberentur. Juvat hoc loco plura de calculo tam renum, quam veficæ referre. Calculi vel a loco, vel a fcabritie, lævitate, & colore cineritio, fufco, rubro, vel a friabilitate aut duritie inter fe diftinguuntur.

Cauffæ remotæ funt, diæta concoctu difficilis, cafeofa, vita fedentaria, ætas fenilis arthritis, vinorum quædam fpecies multo tartaro fcatentium, item aquæ quædam fabulofa materiæ plenæ, peculiaris humorum diathefis & labes hæreditaria.

Symptomata calculi renalis fupra allata funt.

Calculum vero *veficæ* ftipant difficilis & dolorificus mictus cum tenesmo ad matulam; tenfione, & dolore penis. Titillatio continua in glande penis, tenesmus ad alvum, diarrhæa; urina cum muco tenaci copiofo, fœtitoque; convulfivi inter mingendum motus, urina poft equitationem fanguine tincta, cum augmento doloris in vefica, urethra, & glande.

Cura alia eft *in paroxysmo*, alia *extra paroxysmum*. In paroxysmo conveniunt ea omnia, quæ contra nephritidem inflammmoriam laudata funt. Venæ fectio, fotus, balnea, clysmata, potus emollientes oleofi &c.

His

His præmiſſis opiata danda ſunt, quæ conſtrictos ſpasmo ureteres relaxant & tranſitum calculo conciliant. Extra paroxysmum conveniunt lithontriptica per os aſſumta & in veſicam injecta, ſi modo talia dentur. Huc pertinere videntur, ſapo venetus, aqua calcis, porrum, cœpa, zelleri, diæta non acida, eupepta, decocta viſcoſa, mucilaginoſa. In mictu ſanguineo a calculo convenit aqua calcis absque ſapone. Item emulſio arabici gummi, & manna ad alvum laxam conſervandam.

Calculos exiguos ſive arenulas optime tollunt aquæ martiales, diureticæ, roborantes. Remedium fœminæ *Stephens* inſecurum, & ipſi veſicæ urinariæ inimicum eſt. *Cel. Springsfeldius* peculiari ſchediasmate demonſtrare conabatur thermas carolinas pro aqua calcis vim lithontripticam poſſidere. De vomitu in nephritide notandum adhuc eſt, illum ſi nimius fuerit, progreſſum calculi uretherum conſtrictione inhibere, hinc ejus exceſſum opium opponitur, ut ſaltem mitigetur, quem moderatiorem factum aqua tepida mellita continuo propinata ex conſilio *Boerhaavii* facilitate opportet. Quod ſi & vomitu & dolore per opiata ceſſante, adhibitis larga copioſa omnis generis emollientibus & oleo-

oleosis calculis nihilominus firmiter inhærent ureteri abdominis concussio tentanda est per exercitia corporis, frictiones, vectionem in rheda & postea etiam lenia emetica, quæ ultima ceu eximia remedia a practicis nonnullis, præcipue vero a *Boerhaavio* commendantur.

Renes suppurati.

Signa præcipua vomicæ renalis *Galenus* a) recenset: si dolores cum horrore interpolato inordinatim fieri videantur, & febres absque ullo ordine, tum pronum in ventrem decumbere jussum, atque interdum in alterum latus, ut sublimis sit affectæ partis situs, laborantem interroga, num circa renem dolentem *veluti suspensi cujusdam ponderis sensum percipiat; etenim quum hæc ipsis acciderint, abscessum colligi conjicere oportet.* Quandoque & alia symptomata vomicam renalem comitantur. Vidit *Swietenius* in ægro tali dolorem urentem, quasi ad scapulam & axillam usque ejus lateris protendi. Ubi brevi rumpetur abscessus maturus, tum loco obtusi & gravantis doloris acutus percipitur, dum sensim dilacerantur membranæ pus collectum cœrcentes, & rupturu-

turæ jam proximæ funt. Cognitionem autem ulceris renalis confirmat, fi illo rupto pus per ureteres delapfum cum urina exeat. Solet autem pus rupta vomica prodiens fere femper fœtidum effe, imprimis fi diu vomica renum claufa manferit atque etiam ideo, quod in tali loco collectum fuerit, ubi urina facile putrefcens fecernitur & colligitur. Si autem ulcus apertum puris evadat, tunc pus fequentibus diebus non adeo magno fœtore urinam inficit.]

a) Galen. de locis affectis. L. VI. c. 3.

Pus autem cum urina emiffum non eft fignum abfolutum abfceffus renalis, fi folum fpectetur, poft enim & ex ureteribus, aut vefica fimiliter affectis prodire; verum figna nephritidis inflammatoriæ prægreffæ omne dubium tollunt. Dein quandoque etiam pus in aliis locis collectum venisque poftea reforptum, per urinæ vias excernitur. An autem pus a renibus, vel aliis locis veniat, his notis diftingui poffe *Trallianus* a) tradidit; pus ex aliis locis ad renes traductum, accuratæ urinæ permiftum exit, & non nifi fenfim ad fundum vafis fecedit; eft enim illud pus vaforum & pulmonis actione miftum

fan-

ſanguini, & per renales fiſtulas ſimul cum urina ſecretum. Ubi vero a renibus ulceratis depluit, nunquam urinæ bene permiſcetur, ſed ilico in fundo vaſis urinam continentis, ſeparatum apparet.

a) Trallianus de cauſis & ſignis morbor. Cap. 3.

Difficilis videtur diagnoſis ex ſola urinæ purulentæ inſpectione, ut diſtinguatur, an pus ex renibus, an vero ex veſica prodeat. Interim tamen obſervata docent, pus veſicæ longe tenacius eſſe, & glutinis inſtar ad fundum vaſis ſecedere ilico, renum autem pus tenuius eſt. Præterea in veſicæ abſceſſu una cum urina prodeunt ramenta quaſi foliacea quæ *Trallianus* a) vocavit μόρια πεταλώδη, forte membranæ internæ veſicæ lamellæ ſeparatæ; a renibus vero ſuppuratis cum urina excernuntur craſſiores particulæ magis carnoſæ, quas *Hippocrates* b) parvas carunculas, σαρκία σμικρὰ, vocavit, & a renibus venire dixit, quæ videntur eſſe partes ſemigangrænoſæ ipſius ſubſtantiæ renum.

a) Trallian. ibidem.

b) Hippocrat. aph. 76. Sect. IV.

Duplex autem indicatio eſt curatoria, ubi ren ſuppuratur:

1. Suppurationem promovere: molliſſima hinc decocta proſunt, magna copia potata; clysmata ex ſimilibus parata, frequenter adhibita: cataplasmata renum regioni applicata; balnea. Ubi autem ex ponderis gravantis ſenſu, morbi duratione, tenſione magna vicinarum partium novimus, pus maturum in abſceſſu renali collectum hærere, nitendum eſt omni ope, ut vomica rumpatur, ne pus diu hic relictum putreſcat, & ſinuoſa ulcera peſſima producat, per accumbentes partes disperſum; vel reſorptum in ſanguinem cacochymiam purulentam, & tabem faciat. Ad rumpendum autem abſceſſum maturum in rene ſola hæc fere habentur auxilia, quæ concutiendo valide renes agunt. Tuſſis ſternutatio, vectio in rheda, præcipua ſunt, a quibus hæc ruptura exſpectari poterit.

2. Ulcus abſtergere, conſolidare: Ubi poſt hæc facta pus in urina apparet, certi ſumus, vomicam renalem ruptam eſſe, & ex varia conditione puris judicare poſſumus de conditione ulceris renalis. Si enim læve, album, æquabile fuerit, ſpes multa curæ naſcitur; & contra, eo pejus præſagium habetur, quo magis ab his dotibus receſſerit pus excretum. Interim tamen hoc notandum eſt, primum

mum pus poſt vomicam renalem ruptam prodiens raro eſſe optimæ notæ, imprimis ſi diutius vomica clauſa manſerit; fere ſemper enim fœtidum eſt, & quandoque ſanguinolentum: Verum ſequentibus diebus ſolet puris copia minui, & illud fieri laudabilius, dum emendatur ulceroſi ſucci ſuperficies, tuncque bonum eventum ſperare licet. Indicatio tunc eſt, abſtergere leniter, mundare locum ulceroſum, & dein conſolidare.

Verum caveri nequit, ne urina continuo ulcus renale abluat; adeoque potu copioſo, blande ſimul detergente, urinæ acrimonia mitiganda eſt. Serum lactis imprimis illo tempore, quo armenta lætis fruuntur paſcuis, potatum larga copia dat ſummum remedium, & ſolum fere ſufficit, cum graminis omnem vim in ſe habeat; imo optime depuratum ſerum lactis ſubviridis coloris eſt, ac ſi dilutus ſuccus foret graminis; cujus vires inſignes laudavit *Trallianus* a) in curatione ulceris renalis. Commendavit præterea & lactis aſinini potum; magnopere a lactis potu levari hoc morbo laborantes pariter affirmavit. *Aegineta* b). Lac cum melle poſt puris eruptionem, primo aſininum aut equinum, quæ ad ulcera repurganda conducunt; poſtea emenda-

dato ulcere bubulum commendat *Aetius* c), ut & ſimul ægrum magis nutriat. Deinde addit ſequentia : *Amplius autem omne lac, recens mulctum, calidum præbendum eſt, animalia domum, ubi æger decumbit, perducta : hoc & aliorum internorum ulcerorum optimum eſt pharmacum, & gravi puri maxime amicum, & corpus probe nutrit.* De lactis autem egregio uſu in ulcere pulmonis antea dictum fuit.

a) Lib. IX. Cap. V. p. 544.
b) Lib. III. Cap. XLV. p 46. verſa in fine.
c) Sermon. XI. Cap. XVIII. p. 271.

Eidem ſcopo & ſerviunt aquæ medicatæ, imprimis illæ, quæ loco ferri ſoluti parcam copiam ſalis blandi & detergentis continent: quales ſunt aquæ ſelteranæ, & his ſimiles: quarum uſus, imprimis ſi æqua lactis copia addatur, adeo probatur communi medicorum conſenſu in ſuppuratis viſceribus curandis.

Cum autem in ulceribus externis detergendis & conſolidandis balſamica adeo laudaverint celebres chirurgi, cogitaverunt & medici de illis exhibendis ad curationem ulcerum internorum, & imprimis renalium: quia obſervabant, illa peculiari ſua indole in vias urinæ

age-

agere, dum ab his assumptis intra quadrantem horæ urinæ odor mutari solent.

Notum enim est, therebinthinam, balsamum copaivæ, de mecha, & similia plura nativa balsama, parva etiam copia data, urinæ conciliare odorem, quem viola martii flores verno tempore spirant. Merentur certe & hæc remedia laudem in hoc morbo, modo dentur parca tantum quantitate ter quaterve de die, superbibendo copiam seri lactis, vel mollis vulnerarii decocti. Largiori enim dosi hæc data, & absque diluentibus, calefaciunt & stimulant nimis; imo stranguriam quandoque molestam producunt, & urinæ vias inflammant imprudenti usu. Balsama autem hæc nativa præferenda videntur merito decantatissimis etiam balsamis artificialibus, quæ sæpe adhuc longe acriora sunt. Pulchrum effectum ab his balsamis nativis vidit *Ill. Swietenius* in praxi, si horum drachma cum uncia succi glycirrhicæ inspissati misceretur, &, ex hac massa grana viginti, aut alios modo laudatos potus medicatos æger sumeret. In horum usu pergitur, donec nullum amplius pus in urina appareat; tuncque roborantia & consolitanti ab his addi solent, ut *mastiche*, *albinum*, *sarcocolla &c.* Ad recens exulceratos *Celsus* a)

etiam blanda balſamica detergentia remedia laudavit, ex ſtrobilis pini ſylveſtris, croci pauculo, aniſo, ſeminibus cucumeris.

a) Lib. IV. Cap. II. p. 217.

Omnia, quæ hactenus dicta fuerunt de curatione ulceris renalis, ſupponunt vomicam ruptam pus in pelvim effudiſſe. Licet autem hoc frequentius contingat, tamen quandoque & alia via pus in rene collectum exitum molitur. Ita *Hippocrates* obſervavit, verſus exteriora quandoque pertuberare talem abſceſſum. Ita enim habet a) de calculo renali agens: *Quum autem dolor urget, multa calida lavato, & qua parte præcipue dolor eſt, fotus tepentes admoveto. Quum vero intumuerit & extuberarit, ſub hoc tempus juxta renem ſecato, & extracto pure, arenam medicamentis urinam cientibus curato; ſi enim ſectus fuerit, evadendi ſpes eſt, ſin minus, morbus homini commoritur.* Et ſequenti capite b). *Quum igitur rem ſuppuratus fuerit, ad ſpinam intumeſcit. Hunc, quum ita habuerit, qua parte tumor eſt profunda maxime ſectione ſecato. Quod ſi quidem ſectione aſſecutus fueris, confeſtim ſanum reddes. At ſi aberraveris,*

ris, periculosum est, ulcus fistulosum fieri. Ubi notandum est, quod profundam valde sectionem fieri debere monuerit, cum per cutim, pinguedinem, & crassos musculos penetrare debeat, antequam scalpellum ad renem pertingere possit. Præterea notat, nisi felici eventu abscessus aperiatur, ulcus fistulosum nasci, quia tunc pus, rupta vomica renali, sub peritonæo profundissimos sinus facit, & miras quandoque, in tunica cellulosa musculis in interposita, sibi vias quærit. Similem & renalis abscessus eventum *Aetius* c) notavit, dicens: *Quibusdam vero neque in totum suppurata erumpant, sed circa renes per multum tempus consistunt, donec cauterio adhibito aut alio modo forinsecus aperitionem & eductionem moliaris.* In fine autem ejusdem capitis d) monet, talia ulcera, extrorsum patentia, diligenti admodum cura indigere, cum in fistulam abire soleant. Imo quandoque contigit, pus partim per urinam exire, partim colligi circa dorsum & tumorem prominulum integumentorum facere. Qualem ægram curandam habuit *Ill. Swietenius*, cui per menses aliquot jam urina purulenta effluxerat, & in renis dextri regione tumor manifestus aderat; quo per cauterium potentiale (scalpellum enim

horrebat nimis) aperto, copia puris prodiit. Interim omnis medela & peritiſſimi chirurgi dexteritas impedire non potuerunt, quin fiſtuloſum in dorſo ulcus maneret, ægra tamen ſatis commode ſe habente poſtea, & urina naturali reddita. *Cabrolius* e) ſimilem caſum vidit in juvene, qui talem abſceſſum in dorſo habebat, licet aliquantulum puris per urinas excerneretur. Incidit locum, ſed nihil puris inde exivit; verum poſt bihorium, apparatu remoto, ingens copia puris erupit, & puris ille effluxus per menſem & ultra duravit, feliciter tamen & integre ſanatus fuit.

a) De intern. affect. Cap. XV. Chart. Tom. VII. p. 649.
b) Ibidem p. 650.
c) Sermon. XI. Cap. XVIII. p. 270.
d) Ibidem p. 272.
e) Bonet ſepulchret. Tom. II. p. 566.

Hinc apparet, quam grave malum ſit renum inflammatorum ſuppuratio, & quam anceps eventus. Licet enim verſus exteriora tendat abſceſſus, quandoque rumpitur, antequam ſatis elevata ſint omnia, quæ reni in dorſo incumbunt, ut diſtingui poſſit, & tunc

pus

pus effusum sinus facit sæpe incurabiles per omnia loca vicina dispersos. Videtur & *Hippocrates* a) hanc difficultatem notasse, dum dicit: *Quibus nephriticis prædicta contingunt signa, doloresque circa spinæ musculos fiunt, si exteriora quidem loca occupent, abscessus quoque futuros exteriores exspecta. Si vero dolores magis circa loca interiora fiant, abscessus etiam interiores magis futuros exspecta.*

a) Aphor. 36. Sect. VII. Chart. Tom. IX. p. 310.

Cum autem renes intestino colo fere contigui sint, & partes inflammatæ vicinis quandoque accrescant, non improbabile videtur, renem hic colo præternaturaliter uniri posse, tuncque abscessus renalis viam in intestini cavum invenire posset, & pus per alvum evacuari. Verum quidem est, sub peritonæo hærere renes, adeoque non immediate tangere colon, sed scimus quod diaphragma, inter hepar & pulmones medium, non impediat, quo minus pus ex hepatis abscessu in pulmonem venire, & per sputa educi possit. Talem puris ex rene viam videtur indicasse *Hippocrates* a) de hoc morbo agens: *Si quidem pus intro rumpatur, & ad intestinum rectum*

feratur, evadendi spes est. Et *Aetius* b) pariter in eodem morbo monet: *Aliquando autem & ad intestina eruptio devolvitur, & per sedem pus evacuatur.* In tali casu conveniret medela, quæ suppuratis intestinis adhibita fuit.

a) De affection. Cap. XVI. Charter. Tom. VII. p. 650.
b) Serm. Cap. XVIII. p. 270.

Videmus etiam in partibus externis suppurationes diuturnas partium substantiam consumere, unde illis sanatis profundæ & turpes cicatrices supersunt. Idem metuendum est, si cito sanari non possit ulcus renale; nam & partes ipsius substantiæ renum, per suppurationem solutis nexibus, quibus hærebant, cum urina purulenta exeunt, caruncularum specie, uti ante dictum fuit: *Imo renum frustra, pollicis magnitudine, per virgam maximo dolore & tormento excreta fuerunt.* a) Sic tota renum substantia consumpta relinquit cavum saccum, inutilem postea; tuncque alter ren superstes urinæ secernendæ officio solus fungi debet. Vidit *Piso* b) in muliere, *membranam renum externam, ureteribus communem, dilatatam in amplitudinem toti capacitati alvi*

æqua-

æqualem, quæ tamen continendis quatuordecim libris materiæ purulentæ ſine dilaceratione par eſſet. Debuit ergo hæc membrana ſive involucrum renis externum, magnam craſſitiem vel tenacitatem acquiſiviſſe, ut a tanto puris pondere non rumperetur. Huc autem ex *Cabrolio* excerptum legitur apud *Bonetum* c); nempe in rene pariter ſuppurato, & quatuordecim libras ponderante, inventa fuit cyſtis, pus continens, craſſitiem æquans pellis vervecinæ. Mirum videtur, quod totum renis ſubſtantiam ſic conſumptam non ſequatur lethalis hæmorrhagia, cum tam magna ſit arteria emulgens, & cordi ſatis propinqua. Verum videmus huc ubique, quod ſuppuratio, ſolvens extrema vaſorum inflammatoria materia obſtructorum, vix faciat hæmorrhagiam imo licet pus ſenſim totam fere conſumat partium ſubſtantiam, rariſſime hæmorrhagia ſequitur: videntur enim vaſorum extrema contrahi vel obturari ita, ut vix transmittant ſanguinem amplius, qui tum per ramos vicinos liberos tranſit. Sic in exſtirpationibus obſervant chirurgi, metum hæmorrhagiæ abeſſe, dum vulnus in omni ſuo ambitu pus fundit. Poſtea, quando de phthiſi agetur, patebit, totum pulmonem quandoque conſumi

pu-

purulenta labe, ſputis quotidie prodeuntibus copioſis, absque ulla hæmorrhagia; dum tamen pulmonalis arteria magna eſt, & ex corde adeo vicino prodit.

a) Hildanus de gangraena & ſphacelo Cap. IV. p. 774.
b) De morbis a ſeroſa colluvie Sect. IV. Cap. II. p. 296.
c) Sepulchret. anatom. Tom. II. p. 567.

Ex illis, quæ hactenus dicta fuerunt, ſimul intelligitur, quare veteres medici tantam difficultatem poſuerint in nephritide curanda; imprimis ſi ſuppuratio ſequatur, nec cito pus evacuari, & dein ulcus, detergi & conſolidari poſſit. Ita *Hippocrates* a), poſtquam illa propoſuerat, quæ ad nephritidis curam laudabat, dicit: *Hæc ſi fecerit, neque citiſſime ſaneſcat, haud novum: morbus enim perdifficilis.* In renum ſuppuratione monet, *Hic autem morbus moleſtus eſt, ex eoque plures ad renum tabem deveniunt.* b) Vel enim pus copioſum, eductum quotidie, conſumit maximam nutrimenti partem, (a qua cauſa, poſt magnas exſtirpationes feliciſſime etiam peractas, multi pereunt) vel pus retentum reſor-

forbetur, & cacochymiam purulentam inducit sanguini, pariter periculosam. Imo & alibi c) de eodem morbo agens dicit, hunc morbum vix desinere: nec integram curationem promittit, sed cura enarrata, simpliciter dicit: *Hæc si ita feceris, morbum meliori statu constitues.* Ita & *Aretæus* d) ulcera renum inter diuturnos eorundem morbos recensens, non quidem lethalia dixit esse, sed insanabilia, & una cum ægro commoritura. Imprimis autem damnabat e) ulcera, quæ a calculis fiunt: *Insanabiles inde morbi nascuntur, cita colliquatio, & mors.* Si enim calculus, adeo magnus, ut per uretrres in vesicam descendere nequeat, ibi hæserit, & ulcus produxerit, idem efficiet, quod globulos fistulæ orificio immissus, id est, impediet depurationem & consolitationem ulceris in renibus nati. Pariter & *Aetius* f) difficultatem curæ suo testimonio confirmat.

a) De intern. affect. Cap. XVIII. Charter. T. VII. p. 651.
b) Ibidem Cap. XVI. p. 650.
c) Ibidem Cap. XVII. p. 650.
d) De caus. & sign. morb. diuturn. Lib. II. Cap. III. p. 52.

e) Ibidem p. 54.
f) Serm. XI. Cap. XVIII. p. 272.

Scirrhus renum.

Mala a ſcirrho renum metuenda optime notavit *Aegineta.* a) *Quæcunque durities circa renes oboriuntur, dolores quidem non amplius inferunt: ægris autem ex vacuo ventris loco veluti quidpiam pendere videtur: & ſtupor adeſt coxendicum, & impotentia crurum; minguntque pauca, & reliquo corporis habitu, aqua inter cutem laborantibus, maxime ſimiles exiſtunt. Quidam etiam temporis progreſſu manifeſte hydropem incurrunt, veluti etiam ab aliis viſceribus induratis contingit.*

a) Aegineta L. III. c. 45.

Rudimenta calculi.

Calculi non tantum in renum pelvi, ſed & in renum ſubſtantia deprehenſi fuerunt frequenter; imo & quædam obſervata docuerunt, minimas tales arenulas per totam renum ſubſtantiam diſperſas inveniri quandoque. Ita in cadavere viri conſularis nephriticos dolores frequenter

paſſi,

paffi, & tandem phthifi confumpti, obfervavit *Schmidius* a) non tantum in renum tubulis calculos & fabulum contineri, fed & totam renum fubftantiam arenulis refertam effe; ita ut, cum hinc inde parenchyma fecaretur, quafi fabulum humidum fcindi appareret. Unde patet materiam inflammatoriam non refolutam, calculo renali originem dari dum bafin præbet, cui materia calculofa, in urina latens accrefcere poterit.

a) Mifcel. curiof. Decur. I. p. 149.

Gangræna renum.

In præcedentium morborum inflammatoriorum hiftoria actum fuit de funefto hoc inflammationum exitu, & de fymptomatibus, quibus ftipatur morbus inflammatorius partium internarum corporis, dum in gangrænam abit: figna autem hæc notant gangrænam futuram, vel defignant jam præfentem. Priora defumuntur ex vehementia caufæ, morbi & fymptomatum; pofteriora vero petuntur imprimis ex virium jactura fubitanea, & doloris remiffione non exfpectata. Confirmatur autem gangrænæ jam præfentis diagnofis, fi talia a loco affecto prodeant, quæ necrofin partium

tium indicant. Sic in nephritide, si urina nulla omnino prodeat, summam renum inflammationem indicit, talemque vasorum renalium infarctum, ut nulla urinæ secretio fieri amplius possit. Ubi vero adhuc aliquid transit, vel in alterutro rene tantum malum hæserit, tunc a rene sano prodibit quidem urina, verum tabus putridus, gangrænosus a rene affecto delabens in vesicam, urinam afficiet sua corruptela. In putrilaginem enim gangrænosam converti renum substantiam illis, qui vi morbi interierunt, *Eustachium* a) docuit cadaverum sectio; imo flatum intra membranam externam adhuc integram invenit, qui illam a substantia renum putrida removerat, & insignem tumorem fecerat. Constat autem aërem elasticum extricari per putredinem ex partibus solidis & fluidis nostri corporis.

a) Eustachius de renum structura. p. 120.

Nullam in tanto malo medelam exspectari posse *Stollius* cum *Boerhaavio* asserit. Plus tamen sperari posse in hoc casu, quam in gangræna aliorum viscerum, quorum integritas ad vitam requiritur, *Swietenius* existimat,

quia

quia obſervata plurima docuerunt, uno rene penitus inutili reddito, vitam ſupereſſe posſe, imo quandoque adhuc ſatis commodam, dum alter ren ſolus urinæ ſecernendæ munere fungitur.

Corollaria practica.

1. Si conſiderentur illa, quæ de cauſis nephritidis dicta fuerunt, patebit ſatis, quam multiplices obſervatæ fuerint hujus morbi cauſæ, natura, attributis, loco, diverſæ. Unde etiam & varia nomina data fuerunt huic morbo. Ita nephritis inflammatoria, ſuppuratoria, ſcirrhoſa, ſpasmodica, calculoſa, verminoſa &c. obſervata fuit. Sic *Tulpius* a) vidit, poſt diuturnos lumborum cruciatus, a muliere excerni ſingulis diebus quinos vel ſenos vermiculos, colore albos, & forma ſimiles illis, qui in caſeo putri reperiuntur. In alio vidit, quolibet decimo quarto die, cum inſigni urinæ difficultate, & perturbati corporis inquietudine ſumma, emingi pilos, dimidium digitum, quandoque & integram æquantes, muco ſic involutos, ut raro ſeparari, ſed plerumque conglobati prodirent b). Inter nephritidis autem cauſas frequentiſſima eſt

cal-

calculus. Verum calculus nephritidem non producit, nisi vel mole, vel asperitate partes, quibus accumbit, irritet. Observata numerosa habentur, quæ docent in magnatum cadaveribus eviſceratis, ut balſamo condirentur, repertos fuisse calculos in renibus, licet nunquam nephritidem paſſi forent. Eximius Medicus c) post febrim tertianam emſinxit undeviginti vermiculos ſine dolore aut ulla urinæ difficultate, & vivos quidem: adeoque nec ab his ſemper nephritis producitur, niſi dum motu ſuo vel rodendo irritant partes ubi hærent.

a) Obſerv. medic. Lib. II. Cap. LI. p. 179.
b) Ibidem Cap. LII. p. 180.
c) Ibidem Cap. L. 178.

2. Nec tamen curatio multum differt, licet tanta varietas in nephritidis cauſis obſervetur; quia nephritidem, proprie dicendam, non producunt, niſi inflammationem fecerint. Adeoque curatio conſiſtit ſemper in eo, ut ſolvatur inflammatio, & tentetur expulſio illius, quod irritando hæc mala produxerat. Sive enim a calculo nephritis orta fuerit, ſive ab alia cauſa quacunque renes inflam-

flammati fuerint, cura requiritur ſimilis. Verum quidem eſt, quod ſanguinis miſſio directe non agat in calculum hærentem in renibus, attamen depletis vaſis partes inflammatæ ſubſident, quæ tumentes calculo in veſicam delapſuro, remoram fecerant. Pulchre hoc notavit *Aretæus* a), dum commendat ſanguinis miſſionem, ubi calculus renum inflammationem produxerit. Ita enim habet: *Neque enim phlegmone tantum evacuatione mitigantur, ſed etiam calculorum incuneationes vaſorum inanitione laxantur.* Et alibi b) pariter ſanguinis miſſionem commendat, ut calculi exitus promoveatur: rationem autem pulchram dedit, dicens: *phlegmone enim colligata tenet omnia: evacuatio autem ſolutio eſt phlegmonis.* Notavit *Sydenhamus* c), quandoque in hyſtericis circa alterutrum renem oriri dolorem atrociſſimum, qui paroxysmum nephriticum omnino refert, & non niſi ab exercitatis admodum diſtingui poteſt. In tali caſu merus ſpasmus adeſt, absque inflammatione vel calculo irritante, adeoque alia cura requiritur. Verum hyſterica mala ſuis ſignis diſtinguuntur, & facile antihyſtericis dictis remediis, & imprimis laudani liquidi aliquot guttulis, ſupperari ſolent. Si vero tales ſpasmi diu

per-

persistant, renum inflammationem producere poterunt. Unde patet denuo similem tunc curam requiri.

a) De curatione morb. acut. Lib. II. Cap. VIII. p. 109.

b) De curatione morb. diuturn. Lib. II. Cap. III. p. 10.

c) In differt. epist. ad Guillelm. Cole. p. 489.

3. Antea sæpius patuit, in morbis inflammatoriis materiem morbi subactam, & mobilem redditam, per urinæ vias exire, adeoque per renes transire. Cum autem hæc materies morbosa, expellenda de corpore, tales dotes habeat, ut cum reliquis humoribus per vasa moveri nequeat absque impedimento æquabilis circulationis, non mirum est, quandoque illam hærere per aliquot tempus in angustiis vasorum renalium, vel & acrimonia majori irritare hæc vasa, sicque nephritidis speciem producere; sed leviorem plerumque, & excreta cum urina hac materie, brevi cessantem. Cum enim talis urina critica stranguriam quandoque faciat, dum emittitur, nemo mirabitur, quod & in renibus molestiam facere possit. Sed & in aliis morbis ob-

obſervatur, materiam morbi levem quandõque inflammationem facere, dum tranſit per viſcera, antequam per metaſtaſin ad quædam loca corporis deponatur. Ita in peripneumonia ſigna levioris inflammationis ad hypochondria indicabant, abſceſſus criticos circa crura exſpectandos eſſe. Tales autem circa renes dolores, dum materia morbi per hos exitum quærit, videtur & notaſſe *Hipdocrates* a) dicens: *In dolore hypochondriorum ſubmurmuranti, lumborum dolor ſuperaccedens in febribus, ventres utplurimum humectat, niſi flatus eruperit, aut urinæ copia prodierit.* Et alibi b) notavit, atram bilem quandoque ad renes confluere; tuncque urinam talem prodire, qualis effluit a carnibus aſſatis ſuccus; quin imo renem exulcerari, ſi non perfluverit atrabilis, ſed in rene conſtiterit.

a) Coacar. *Prænot.* Nro. 292. Charter. Tom. *VIII.* p. 868.

b) De intern. affection. Cap. XVII. Chart. T. VII. p. 650.

4. Iſchuria, ſive urinæ ſuppreſſio, dupliciter diſtingui ſolet: una nempe, ubi nihil

hil urinæ in vesicam venit; altera, ubi vesica urinam continens nihil dimittit. Prior cognoscitur, si nulla tensio circa pubem, nec tumor ob distentam vesicam in hypogastrio apparet; & omnium certissime, si cathetere immisso nihil urinæ prodeat. Talis ischuria fit vel a renum actione impedita, qua urinam a sanguine secernunt (uti e. g. ab inflammatione) licet ureterum cavum liberum sit. Præterea poterit produci, si, renum actione satis integra adhuc manente, ureterum cavum per calculum, sanguinis thrombum, mucum spissum &c. ita impeditum fuerit, ut urina per renes secreta ad vesicam venire nequeat. Verum ex illis, quæ hactenus dicta fuerunt, cura talis ischuriæ intelligitur.

CYSTITIS.

Ea, quæ de viscerum variorum inflammationibus hucusque dicta sunt, vesicæ etiam inflammationem, & cognitu, & curatu facilem reddunt.

Signa autem vesicæ inflammatæ ab auctore aphorismo 337 exposita sunt. Febris nempe acuta, continua, inflammatoria, dolor assiduus, ardens, pungensque in regione epiga-

gastrica; urina parca, flammea, stranguriosa; mucus pendulus, mox fundum matulæ petens; vomitus assumptorum, bilis vitulinæ, æruginosus.

Causæ inflammatæ vesicæ aut generales sunt, omnibus inflammationibus communes, aut propriæ, causam phlogoseos ad systema uropoieticum præcipue determinantes; ad hanc ultimam classem sequentes causæ potissimum pertinent.

Frigus extremorum ad abdomen admissum non raro suscitat spasmum vesicæ, qui liquidis calidis, emollientibus, cataplasmatibus, clysteribus, balneis, & subinde tantillo opii feliciter curatur.

Purgantia quoque drastica acrimonia sua irritante tenesmum excitant, simulque, uti in dysenteria fit, adjacentem vesicam afficiunt. Oleosa, emollientia ore assumpta, & clysmata injecta prosunt. Eadem valent, ubi systema urinarum a cantharidibus vel ore assumptis, vel externe applicatis, male afficitur.

Subinde vasa vesicæ sanguifera inter ejus membranas reptantia, atque venosa maxime sanguine infarciuntur, distenduntur, varicosa fiunt, ut diductis a se invicem, & pressis nervosis villis, atrocissimus dolor, calculum

veſicæ mentiens oriatur. Huic malo occaſionem præbet plethora, equitatione, vectione & concuſſu, ad has partes invitata; item menſium & hæmorrhoidum ſuppreſſiones, ac anomaliæ, ubi ſanguis per uteri & inteſtini recti vaſa excernendus, ad veſicam determinatur. Juvant venæ ſectio, nitrata, emulſa, hirudines, aquæ minerales. Quodſi ſanguis in arterioſis potius apicibus hæreat plethoricus, hæmorrhoidalis, menſtruus, qui ſpasmo gravi ac aliis cauſis orto, illuc urgetur, præter graviſſimum dolorem, etiam inflammatio naſci poteſt. Juvant venæ ſectio, clysmata, epithemata, balnea emollientiſſima, oleoſa, emulſa, nitroſa, & ſi dolor & ſpasmus urgeat, opiata.

Inter cauſas aliunde ad veſicam delatas retinendum non eſt acre ſcorbuticum, arthriticum, podagricum. Indicatio eſt materiam extrorſum ablegare per decocta leniter aromatica, calide epota, remedia volatilia, & paulo calidiora, modo caveatur, ne nimis acri ſtimulo diureſis moveatur, & veſica magis adhuc afficiatur.

Sunt aliæ cauſæ in vicinis partibus ſedem nactæ, quæ veſicam in conſenſum trahunt. Huc pertinent ſtricturæ hypochondriacæ, & hy-

hystericæ in partibus sensibilibus abdominis dominantes. Hoc in casu opiata egregie conveniunt. Huc etiam pertinet uterus sanguinem non emittens, sed ad vasa vesicæ determinans, uterus gravidus eam comprimens, inflammatus eam irritans, exulceratus eam rodens; intestinum rectum hæmorrhoidalem sanguinem retinens, & vesicæ vasis intrudens, ulcere fistuloso exesum; prostrata cum tota urethra tabo venereo infecta, & collum vesicæ simul afficiens.

Contingit, ut in corpore, præprimis senili, collecta sensim urina, ob universalem humorum dyscrasiam, acribus referta salibus, vesicam muco naturali obortam stimulet, & spasmos maxime dolorificos excitet. Huic malo medetur diæta lactea, aliaque demulcentia medicamenta. Urinæ ejusmodi acri utplurimum adscribenda est *scabies vesicæ*, si nempe acris & salsa urina tunicam villosam muco suo orbam arrodat, excorietque, ita, ut furfures aut filamenta, quæ ramenta sunt interioris tunicæ, cum urina inter summos dolores excernantur, & in eadem subsideant. Juvant demulcentia, aquæ spadanæ cum lacte injectio in vesicam ex lacte & mucilagine cydoniorum, item decocto altheæ, aquæ cal-

cis &c. quin oleum ipſum amygdalinum & ore aſſumi & injici poteſt.

In abſceſſu veſicæ, ejusque exulceratione, ſive ab inflammatione prægreſſa ſive aliunde orta fuerit, laudantur aquæ ſpadanæ ab *Henrico ab Heers*, cum lacte potæ. Remedia balſamica, e. g. ex therebinthina cum melle & vitello ovorum pulchre proſunt, notari tamen meretur, ne nimia doſi propinata dolor calorque excitetur. Ab electuario quod mannam, pulpam tamarindorum & rheum continet, pulchri effectus obſervantur. In hoc caſu maxime proſunt injectiones demulcentes detergentes, balſamicæ.

Scirrhus & colloſitas veſicæ ſpasmum, doloresque excitant, emollientibus intus & extus admotis, balneis naturalibus & artificialibus unice levandis.

METRITIS.

Uteri inflammatio malum non infrequens, etſi ab interna cauſa rarius oriri ſoleat, ſed a rudiori puerperarum in partu aut eo peracto tractatione excitetur.

Signa, cauſasque metritidis optime expoſuit *Aretæus* a) „ Inflammatio uteri fit ex pluri-

ribus caufis, ex plaga, ex menfium fuppresfione & frigiditate, & inflatione, non minus etiam abortu & partu, propter malam partus editionem. Sequitur ad uteri inflammationem febris acuta, dolorque capitis ac ejus tentinum, & bafis oculorum, juncturæque manuum & digitorum, & colli detractio, & declinatio, ftomachi per confenfum affectio, ofculi uteri conclufio, pulfus parvi, denfi. Si totus eft inflammatus, totus vehementius pulfatorio motu dolet; fi pofteriores ipfius partes folum inflammatæ fuerint, dolor circa lumbos fit, & ftercora fupprimuntur ex recti inteftini compreffione; fi partes ejus anteriores, dolor circa pectinem fit, & urinæ ftillicidium, ac emittendæ difficultas ex veficæ compreffione; & lateribus inflammatis, & inguinna tendentur, & crura gravantur. Si vero fondus ipfius fuerit inflammatus, circa umbilicum maxime dolor confiftit cum tumore, at fi circa ofculum eft inflammatio, circa fupernum ventrem dolent, & digito immiffo gurum ac renitens ofculum occurrit."

a) Aretaeus Bap. LXIV.

Me-

Metritis lege omnium inflammationum in ſuppurationem & gangrænam abit. Suppuratio & ulceratio uteri diutius trahitur, & accidit quam maxime extra puerperium. Patent inflammationi huic ſuppuratoriæ fœminæ ſanguineæ, mollioris & ſpongioſioris habitus, præſertim, ſi fluori albo ſanguinolento fuerunt affectæ, isque adſtringentibus intempeſtive cohibitus a). Raro accidit, ut apoſtema in utero prognatum interne rumpatur, & copioſe effluat ſanies alba, minime fœtida, & ægra evadat. b)

a) Fr. Hoffmann med. rat. Vol. IV. p. 493.
b) Foreſtus L. XXVIII. obſ. 44.

Sæpe in gangrænam abit: a) Teſtatum facit febrilem hunc morbum incendium ab inferioribus locis usque ad cordis regionem vergens, cui ſi magna anxietas, virium proſtratio, inquietudo, & omnis] appetitus dejectio junguntur, poſtea ſenſus internus frigoris cum horrore accedit, pulſus frequens, parvus & debilis micat, viſus quoque obſcurari incipit, mortem ex ſphacelo inſtare, haud dubia eſt ſignificatio. Plurimæ ex puerperis integra mente abire ſolent, & licet hæc antea

tur-

turbata fuerit, paucis tamen ante mortem horis ſæpe ad ſe redit, ut ineptiores rem penitus in vado eſſe ſibi perſuadeant, pulſus tamen moribundus proximi interitus ſemper certus eſt index.

a) Fr. Hoffmann med. rat. Tom. III. p. 164.

Cancrum, uteri inflammati ſequelam, frequenter obſervavit *Fr. Hoffmann* a) eadem omnino ratione, iisdemque ſymptomatibus, ac pridem prodidit *Aretæus* b); „ cancri in utero partim cum, partim ſine ulceratione ſunt, tumor reperitur circa uteri oſculum durus; inæqualis, præminens, colore feculentus, rubicundus, quandoque etiam ſublividus, & dolent vehementer inquina ad ſupernam ventrem & pectinem, ac lumbos, ægreque ferunt contactum, & variegationem medicationum. Si vero ulceratus eſt cancer, ad dolores, duritiem & tumorem, eroſa etiam, & inæqualia ulcera conſpiciuntur, plerumque quidem ſordida oris tumida, albicantia, turpes cruſtas inductas habentia. Quæ vero pura videntur, feculenta, livida, rubicunda & cruenta apparent. Excernitur autem aſſidue ab ipſo ſanies tenuis, & alia ſigna ad inflam-

flammatum uterum relata. Affectio igitur ipsa incurabilis est, veluti alicubi etiam dixit *Hippocrates*; mitigare tamen oppotet per infessus ex fœno græco, malva, & per cataplasmata similia.

a) Fr. Hoffmann l. c.
b) Aretæus Lib. II. c. 67.

At chronica etiam uteri inflammatio ab *Fr. Hoffmanno* a) notatur: „non adeo infrequens est, ex fluore albo, diuturno, præsertim si simul sanguinolentus, male tractato, vel imprudenter cohibito, uterum ejusque partes tumore affici, cum dolore & febre inflammatoria, imo in suppurationem abire, & exulcerationem. "

a) Fr. Hoffmann med. rat. Vol. 4. p. 500.

Cura metritidis, præter antiphlogisticam methodum, quæ omni visceri inflammato convenit, nihil peculiare medico exhibet. Uberiorem de utero inflammato doctrinam in *Bursierii institutionibus* habetur. Observatio de uteri inflammatione, quæ rudiorem secundinarum extractionem sequebatur, ex celeber-

berrimi *Sandifort observationibus anatomico, pathologicis* adducta, universæ de inflammationibus doctrinæ finem imponit.

HISTORIA MORBI.

Felix novem liberorum mater, decima graviditate absque magnis incommodis ad finem perducta, puellam naturali maxime partu emiserat in lucem. Obstetrix, citissime protrahendam esse placentam credens, rudiori modo illam, firmius utero nexam, separabat, educebat, summos autem parturienti creabat dolores. Lochia primo die prodiere nulla, sequenti copiosa. Exarsit autem febris acuta, continua, cum pulsu duro; abdomen tympani ad instar tendebatur, mammæ flaccidæ persistebant, nec ullus lactis versus has partes erat adfluxus. Tumebat præcipue abdominis pars dextra lateralis ab ossis ilei crista ad inguen. Perstabat febris cum delirio aliisque parvæ notæ symptomatibus. Arcessita obstetrix, ut in uteri statum inquireret, adfirmabat, sese integram eduxisse placentam, ast, manu vaginæ immissa, apertum adeo os uteri invenit, ut facile duos admitteret digitos, simulque sese corpus præternaturale de-

te-

tegere faſſa eſt, quod educere omnino non valuit. Quæcunque in auxilium vocabantur interna, externa remedia, ſimili in caſu maximopere laudata, nullum adferebant levamen a); pejora reddebantur cuncta ſymptomata. Tendebatur inſigniter abdomen; profluebat e genitalibus materies fœtida, viridis. Urina involuntarie, guttatim, excernebatur; intumeſcebat tamen de tempore in tempus magis magisque hypogaſtrica regio, hinc, veritus, ne, etiamſi continuo urina emitteretur, lotio tamen inſigniter turgeret veſica, immiſi catheterem, & hujus ope ingentem urinæ quantitatem eduxi. Imminutus hoc pacto multum abdominis tumor, dolor, tenſio, ſed perſtabant non tantum reliqua ſymptomata, verum pejora reddebantur: reſpiratio acceſſit difficillima, pulſus parvus, intermittens, & animam denique, nono a partu die, efflavit miſera.

Uteri ſtatum inquiſiturus, ſectis abdominalibus muſculis cum peritonæo, has partes admodum extenuatas vidi, abdominis quippe æque tumido, ac in gravida, cui partus inſtat. Ventriculus, omnia inteſtina, tenuia, craſſa, aëre maximopere erant diſtenta, ſic ut, mox atque parva etiam plaga abdomini

erat

erat inflicta, summa vi erumperent. Uterus erat insignis magnitudinis. Interna ipsius superficies gangrænosa, pure viridi, fœtidissimo, obsessa. Placentæ vi evulsæ portio, pro parte in putrilaginem versa, & prætera plurimæ, majores minoresque, velamentorum laciniæ, segmento anteriori uteri firmiter adhærebant, sic ut separari omnino non potuerint. Ostium uteri apertum. Uterus in fundo ultra transversum pollicem crassus, in facta sectione multa foramina, totidem discissorum vasorum lumina, monstrabat, inde vero crassities versus ostium sensim imminuebatur. Vesica contracta naturalem occupabat sedem. Nec in illa, nec in reliquis visceribus, si illorum inflammatio excipiatur, præternaturale quid detegebatur. Examinans apposito digito, sublato femore, ossium pubis nexum, levem quidem motum, nullam vero manifestam secessionem, animadvertere valui; pelvis etiam ampla erat, & partus naturalis fuerat atque facilis.

Adfuit ergo hoc in casu uteri inflammatio ex imprudenti placentæ protractione, quæ partes vicinas in consensum traxit, & in gangrænam terminata, marito adamatam eripuit uxorem, liberis carissimam matrem.

Se-

Secuit *Bæhmer* puerperam, tertia poſt partum hebdomade, uteri inflammatione, qua a principio puerperii laboraverat, mortuam. Abdomen erat turgidum, viſcera abdominalia ſphacelo emollita conſpiciebantur, uterus nigricans, magnitudine, qua tertio graviditatis menſe eſſe ſolet, craſſus, ſanguine ſpiſſo refertus, totusque ſphacelo corruptus, inque ejus cavo reperiebatur putrida placentæ portio, fundo uteri adhuc adhærens. b)

a) In aliis caſibus injectionem aquae calidae utilitatem ſummam obſervare licuit. Suaſit hanc Recolin & in aliquot fœminis, in quarum utero poſt abortum aliqua ſecundinarum pars remanſit, aquam calidam aliquoties ope ſyringae in ipſum uterum injecit; quo facte ſymptomata non ſolum mitiora reddita ſunt, ſed ſecundinarum etiam reliquiae poſthac exierunt. Aquam ſimplicem calefactam, utpote magis ſolventem, reliquis injectionibus anteponit. Secundinas enim non ſolum hac ipſa detrudi, ſed & humores putridos, fœtidosque, nec non ſanguinis grumos, eadem elui, uterumque plane purgari, aſſerit. Mem. de l'Acad. roy. de Chiturg. Tom. 3. p. 202.

b) De ſolv. & extrah. ſecund. p. 22. in not.]

Finis Tomi ſecundi.

